




DOMINICA 2da.

Post Epiphaniam.

In Festo SS. Nominis JESV. Duplex Secundæ Classis. Ad Vesperas Antiphona.

Omnis, qui invocaverit Nomen Domini, salvus erit.

Psalmus. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica & loco ultimi, Psalmi* Credidi.

Antiphona. Sanctum & terribile Nomen ejus: Initium Sapientiæ timor Domini.

Antiphona. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in DEO JESU meo.

Antiphona. A Solis ortu usq; ad occasum, laudabile Nomen Domini.

Antiphona. Sacrificabo hostiam laudis, & Nomen Domini invocabo.

Capitulum. Philip. 2.

Fratres, Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem, Crucis: pro-

A pter

Pro Choro Ers. Vigr.
Nemo ex Choro audeat auf[...]

pter quòd & DEUS exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in Nomine JESU omne genu flectatur.

HYMNUS.

JESU dulcis memoria
Dans vera cordis gaudia
Sed ſuper mel & omnia,
Ejus dulcis præſentia.
Nil canitur ſuaviùs,
Nil auditur jucundiùs,
Nil cogitatur dulciùs,
Quam JESUS DEI Filius
JESU ſpes pœnitentibus,
Quàm pius es petentibus
Quam bonus Te quærentibus,
Sed quid invenientibus ?
Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere.
Expertus poteſt credere,
Quid ſit JESUM diligere.
Sis JESU noſtrum gaudium,
Qui es futurum præmium :
Sit noſtra in Te gloria,
Per cuncta ſemper ſæcula. Amen,
℣. Sit Nomen Domini benedictum. Alleluja.

℟. Ex hoc nunc & usq; in sæculum, Aleluja.

Ad Magnificat Antiphona.

Fecit mihi magna qui potens est; & Sanctum Nomen ejus, Alleluja.

ORATIO.

DEUS, qui unigenitum Filium Tuum constituisti humani generis Salvatorem, & JESUM vocari jussisti: concede propitius; ut, cujus sanctum Nomen veneramur in terris, ejus quoq; aspectu perfruamur in cœlis. Per eundem Dominum. &c.

Deinde fit Commemoratio Dominicæ II. post Epiphaniam.

Antiphona. Suscepit DEUS Jsràël puerum suum: sicut locutus est ad Abraham, & semen ejus: exaltare humiles usq; in sæculum.

℣. Vespertina Oratio ascendat ad Te Domine.

℟. Et descendat super nos misericordia Tua.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui cœlestia simul & terrena moderaris, supplicationes populi tui cle-

menter exaudi, & pacem tuam noſtris concede temporibus. Per Dominum.

Ad Completorium & per Horas diei in fine Hymni dicitur

JESU Tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum Invitatorium.

Admirabile Nomen JESU quod eſt ſuper omne Nomen. * Venite adoremus. *Pſalmus:* Venite.

HYMNUS.

JESU Rex admirabilis,
Et triumphator Nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus deſiderabilis.
Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vileſcit vanitas,
Et intùs fervet charitas.
JESU dulcedo cordium,
Fons vivus lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne deſiderium.
JESUM omnes agnoſcite,
Amorem ejus poſcite;
JESUM ardenter quærite,
Quærendo inardeſcite.

Te nostra JESU vox sonet,
Nostri Te mores exprimant,
Te corda nostra diligant,
Et nunc & in perpetuum. Amen. 5

In primo Nocturno Antiphona.

Domine Dominus noster, quam admirabile est Nomen tuum in universa terra.

Psalmus, Domine Dominus noster. *Cum reliquis ut in Officio parvo B. Mariæ. Psalmus verò iste incipit à secundo versu.* Quoniam elevata est. *Antiphona.* In Nomine JESU omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

Psalmus. Cœli enarrant. *Ant.* Confitemini Domino & invocate nomen ejus, mementote quoniam excelsum est Nomen ejus. *Psalmus.* Domini est terra.

℣. Propter Nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo.

℟. Multum est enim.

Pater noster. &c.

Absolut: Exaudi Domine. &c.

Benedictio. Benedictione perpetua.

De actibus Apostolorum.

Lectio I. Cap. I.

PEtrus autem & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero Matris ſuæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret Elèémoſynam ab introeuntibus in templum. Is cùm vidiſſet Petrum & Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut elèémoſynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne dixit: Reſpice in nos. At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: argentum & aurum non eſt mihi, quòd autem habeo, hoc tibi do: In Nomine JESU Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu ejus dextera allevavit ſeum. Et protinùs conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ. Et exiliens ſtetit, & ambulat: & in intravit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans DEUM.

℣. Ecce concipies & paries Filium, & vocabis Nomen ejus JESUM * Ipſe

pse salvum faciet populum suum, à peccatis eorum.

℣. Vocatum est Nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo, priusquàm in utero conciperetur. Ipse enim. *Benedictio*. Unigenitus DEI. &c.

LECTIO II.

ET vidit omnis populus eum ambulantem & laudantem Deum. Cognoscebant autem illũ, quòd ipse erat, qui ad elèémosynam sedebat ad Speciosam portam templi & impleti sunt stupore & extasi in eo, quòd contigerat illi. Cùm teneret autem, Petrum & Joannem, cucurrit omnis populus ad eos, ad porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes. Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Isràélitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? DEUS Abraham, & DEUS Isaac, & DEUS Jacob, DEUS Patrum nostrorum glorificavit Filium suum JESUM, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos au-

autem ſanctum & juſtum negâſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis: Auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem DEUS ſuſcitavit à mortuis, cujus nos teſtes ſumus. Et in fide Nominis ejus, hunc, quem vos vidiſtis. & noſtis, confirmavit ? Nomen ejus, & fides quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.

℟. Benedictum eſt Nomen Tuum, DEUS Patrum noſtrorum, qui cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis; * Et in tempore tribulationis peccata dimittis.

℣. Et benedictum Nomen Majeſtatis Tuæ in æternum, qui facis mirabilia ſolus. Et in tempore.

Bened. Spititus Sancti.

LDCTIO III. CAP. 4.

FActum eſt autem in craſtinum, ut congregarentur Principes eorum, & Seniores, & Scribæ in Jeruſalem, & Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genereSacerdotali, & ſtatuentes eos in medio interrogabant:

bant: in qua virtute, aut in quo Nomine fecistis hoc vos: Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi & Seniores audite: Si nos hodie dijudicamur, in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis, & omni plebi Isràél, quià in Nomine Domini nostri JESU Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem DEUS suscitavit à mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud Nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

℟. Laudabo Nomen Tuum assiduè * Et collaudabo illud in Confessione.

℣. Lætabor & exultabo in Te psallam Nomini Tuo Altissime. Et collaudabo. Gloria Patri. Et collaudabo.

In secundo Nocturno Antiphona

Memores erunt Nominis Tui Do-

mine, in omni generatione & generationem. *Psalmus*. Eructavit.

Ant. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus Nomen ejus in id ipsum. *Psalmus*. DEUS noster refugium. &c.

Anti. Omnes gentes quascunq; fecisti, venient & adorabunt coram Te Domine & glorificabunt Nomen Tuum. *Psalmus*. Fundamenta.

℣. Propter gloriam Nominis tui Domine libera nos.

℟. Et propitius esto peccatis nostris, propter Nomẽ tuũ. *Absol*. Ipsius pietas.

Benedictio. DEUS Pater Omnipotens.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ser: 15. *Super Cantica, circa medium*.

LECTIO IV.

NOn otiosè Spiritus Sanctus Nomen Sponsi oleo comparat, cùm ita docet Sponsam, & Sponsum clamare: Oleum effusum Nomen Tuum. Oleum enim lucet, pascit & ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lux, cibus medicina. Vide idem nunc, & de Sponsi Nomine: Lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum

lenit

lenit, & ungit. Et percurramus singula. Undè putas in toto orbe, tanta & tam subita fidei lux, nisi de prædicato Nomine JESV? Nonne in hujus Nominis luce DEVS nos vocavit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis, & in lumine isto, videntibus lumen, dicat merito Paulus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

℟. Sperent in Te qui noverunt Nomen Tuum. * Quoniam non dereliquisti quærentes Te Domine.

℣. Exsurge Domine adjuva nos & libera nos propter Nomen Tuum. Quoniam.

Bened. Christus perpetuæ.

LECTIO V.

HOc deniq; Nomen coram Regibus, & Gentibus, & Filiis Isràël portare jussus est idem Apostolus; & portabat Nomen, tanquam lumen, & illuminabat Patriam, & clamabat ubiq; : Nox præcessit dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus. Et

monstra-

monſtrabat omnibus lucernam ſuper candelabrum annuntians in omni loco JESVM. & hunc crucifixum. Quomodo lux iſta reſplenduit, ac perſtrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri tanquam fulgur egrediens, claudi unius corporales plantas ſolidavit & baſes, multoſq; ſpiritualiter cæcos illuminavit? Nunquid non ignem ſparſit, cum ait: In Nomine JESV Nazareni, ſurge & ambula.

℟. Confiteamur Nomini tuo magno. * Quoniam terribile & ſanctum eſt.

℣. Hi in curribus, & hi in equis nos autem in Nomine Domini noſtri invocabimus. Quoniam.

LECTIO VI.

NEc tantum lux eſt Nomen JESVS, ſed eſt & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantem impinguat: Quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atq; honeſtos, caſtas fovet affectiones Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur.

tur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi JESUM. Si dispures aut conferas, non sapit mihi nisi sonuerit ibi JESUS. JESUS mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est & medicina. Tristatur aliquis nostrum? Veniat in cor ejus JESUS, & inde saliat in os, & ecce ad exortum Nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen? currit insuper ad laqueum mortis, desperando? Nonne si invocet Nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam!

℟. Lætentur omnes qui sperant in Te Domine, in æternum exultabunt & habitabis in eis, & gloriabuntur in Te omnes * Qui diligunt Nomen Tuum.

℣. Domine in lumine vultus Tui ambulabunt tota die. Qui. Gloria. Qui

In Tertio Nocturno Antiphona.

Cantate Domino & benedicite Nomini ejus, annunciate de die in diem salutare ejus. *Psalmus.* Cantate Domino)

An-

Antiph. Secundùm Nomen Tuum DEUS, ſic & láus Tua in fines terræ, juſtitiâ plena eſt dextera Tua. *Pſalmus.* Dominus regnavit exultet terra. &c.

Antiph. Cantate DEO Pſalmum, dicite Nomini ejus : iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus Nomen illi. *Pſalmus.* Cantate.

℣. Afferte Domino gloriam & honorem.

℟. Afferte Domino gloriam Nomini ejus. Pater noſter. &c.

Abſolutio. A vinculis. &c.

Bened. Evangelica Lectio. &c.

Lectio Sancti Evangelij Secundùm Lucam.

LECTIO VII. CAP. 2.

IN illo tempore : poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum eſt Nomen ejus JESUS. *Et reliqua.*

Homilia Sancti Bernardi Abbatis *Serm.* 1. *de Circumciſione.*

MAgnum & mirabile Sacramentum. Circumciditur Puer & vocatur JESUS. Quid ſibi vult iſta connexio ? circumciſio nempe magis ſalvan-

vandi, quam Salvatoris esse videtur, & Salvatorem circumcidere potius decet quàm circumcidi. Sed agnosce mediatorem DEI, & hominum, qui ab ipso Nativitatis suæ exordio Divinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui fæcunditatis fructus sic accedit, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur, sed Panni ipsi Angelicis laudibus honorantur. Absconditur in præsepio; Sed proditur radiante stella de cœlo. Sic & circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis: & Nomen quod est super omne Nomen, gloriam indicat Majestatis. Circumciditur tanquam verus Abrahæ filius. JESUS vocatur tanquam verus Filius DEI.

℞. Tribulationem & dolorem inveni * Et Nomen Domini invocavi.

℣. Turris fortissima Nomen Domini, in ipso speravi & adjutus sum. Et Nomen. &c.

Bened. Divinum Auxilium.

LECTIO VIII.

NEq; enim ad instar priorum meus iste JESUS, Nomen vacuum

aut

aut inane portat. Non eſt in eo magni Nominis umbra, ſed veritas. Cœlitùs ſiquidem inditum Nomen Evangeliſta teſtatur, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquàm in utero conciperetur. Et attende verbi profunditatem: Poſtquàm natus eſt JESUS. JESUS vocatur ab hominibus, qui vocatus eſt ab Angelo priusquàm in utero cõciperetur. Idẽ quippe & Angeli Salvator & hominis, ſed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio Creaturæ. Vocatum eſt ait; Nomen ejus JESUS, quod vocatum eſt ab Angelo. In ore ergo duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum: & ipſum, quod in Propheta abbreviatum, manifeſtiùs in Evangelio legitur Caro factum.

℟. Expectabo Nomen Tuum Domine * Quoniam bonum eſt in conſpectu Sanctorum Tuorum

℣. Ut confiteamur Nomini Sancto Tuo, & glorificemur in laude Tua. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

Bened. Per Evangelica dicta.

Lectio Sancti Evangelij Secundum Joannem.

LECTIO IX. CAP. 8.

IN illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cána Galilææ, & erat Mater JESU ibi. Vocatus est autem & JESUS & Discipuli ejus ad nuptias. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract: 9. in Joann. post init:

QUod Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta mystica significatione, confirmare voluit, quod ipse fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere, & dicentes: quod malum essent nuptiæ, & quod diabolus eas fecisset, cum idem Dominus dicat in Evangelio, interrogatus utrum liceat homini dimittere uxorem, suam ex qualibet causa? non licere excepta causa fornicationis. In qua responsione, si meministis, hoc ait: Quod DEUS conjunxit, homo non separet. Te Deum laudamus.

Si verò hoc Festum contingat, transferri nona Lectio erit sequens.

MEritò sanè dum circumciditur puer, qui natus est nobis, Salvator vocatur: quod videlicet ex hoc

jam cœpit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. Neq, enim jam quærere Christianis, cur voluerit Christus Dominus circumcidi. Propter hoc siquidem circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos. Nec in peccato genitus, nec à peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo: magis autem propter delicta nostra. Quod vocatum est, inquit, ab Angelo priusquam in utero conciperetur. Vocatum plane non impositum. Nempe hoc ei Nomen est ab æterno: A natura propria habet, ut sit Salvator, innatum est ei Nomen, non inditum ab humana vel Angelica Creatura.

Te Deum laudamus. &c.

Ad Laudes.

Et per horas Antiphonæ.

OLeum effusum Nomen Tuum; ideò adolescentulæ dilexerunt Te.

Psalmus. Dominus regnavit. *Cum reliquis de Dominica ut in Psalterio.*

Antiphona. Scitote quia Dominus ipse

ipſe eſt DEUS, cujus Nomen in æternum.

Antiphona. Sitivit anima mea, ad Nomen ſanctum Tuum Domine.

Antiphona. Benedictum Nomen gloriæ Tuæ Sanctum, & laudabile & ſuperexaltatum in ſæcula.

Antiphona. Juvenes & Virgines, Senes cum junioribus laudate Nomen Domini quia exaltatum eſt Nomen ejus ſolius.

Capitulum Philip. 2.

FRatres Chriſtus humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & DEUS exaltavit illum & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne Nomen, ut in Nomine JESU omne genu flectatur.

HYMNUS.

JESU decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.
Qui Te guſtant, eſuriunt;
Qui Te bibunt adhuc ſitiunt,
Deſiderare neſciunt,

Nisi JESUM quem diligunt.
O! JESU mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ,
Te quærunt piæ lachrymæ
Te clamor mentis intimæ.
Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine
Mundum replens dulcedine.
JESU flos Matris Virginis
Amor nostræ dulcedinis
Tibi laus, honor Nominis
Regnum beatitudinis. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Ad Benedictus Antiphona.

Dedit se, ut liberaret populum, & acquireret sibi Nomen æternum. Alleluja.

O R A T I O.

DEUS qui Unigenitum tuum &c. *Vide supra.*

Deinde fit Commemoratio Dominicæ secundæ post Epiphaniam.

Antiphona. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, & erat ibi JESUS cum MARIA Matre sua. ℣. Do

℣. Dominus regnavit, decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem & præcinxit se.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne DEUS, qui Cœlestia. &c. *Vide supra.*

Ad primam ℟. *breve* Christe Fili.

℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam Antiphona.

Scitote.

Capitulum. Fratres Christus humiliavit, *ut supra.*

℟. *breve.* Sit Nomen Domini benedictum. * Alleluja, Alleluja. Sit Nomen Domini. ℣ Ex hoc nunc & usq; in sæculum Alleluja, Alleluja. Gloria Patri, &c. Sit Nomen &c.

℣. Afferte Domino gloriam & honorem, Alleluja.

℟. Afferte gloriam Nomini ejus. Alleluja.

Ad Sextam Antiphona.

Sitivit.

Capitulum Philip. 2.

IN Nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & inferno-

norum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS Chriſtus in gloria eſt DEI Patris.

℟. *breve.* Afferte Domino gloriam & honorem * Alleluja. Alleluja. Gloria Patri. Afferte.

℣. Magnificate Dominũ mecũ Allel.

℟. Et exaltemus Nomen ejus in id ipſum. Alleluja.

Ad Nonam Antiphona.

Juvenes & Virgines &c.

Capitulum Coloſſ. 3.

OMne quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine JEſuChriſti facite; gratias agentes Deo, & Patri per ipſum.

℟. *breve.* Magnificate Dominum mecum * Alleluja, Alleluja. Magnificate. ℣. Et exaltemus Nomen ejus in id ipſum Allel. Allel. Gloria Patri. Magnificate. &c.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini Alleluja.

℟. Qui fecit cœlum & terram. Allel.

In Secundis Veſperis omnia dicuntur ſicut in primis. Ad Magnificat Antiphona.

Vocabis Nomen ejus JESUM, ipſe

pſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

Deindè fit Commemoratio Dominicæ Secundæ poſt Epiphaniam.

Antiph. Deficiente vino, juſſit JEſus impleri hydrias, aqua in vinũ cõverſa eſt. Alleluja.

℣. Dirigatur Domine oratio mea.

℟. Sicut incenſum in Conſpectu Tuo.

Oratio. Omnipotens ſempiterne. *ut ſupra.*

I. FEBRUARII.

S. BRIGIDÆ Virg. Patr. Reg. Pol.

Omnia de Comm. Virg. præter ea quæ ſequuntur.

n

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui es Sanctarum glora Virginum, clementiam Tuam ſupplices exoramus, ut per merita Beatæ Virginis tuæ Brigidæ, opportunum tuæ pieratis auxilium ſentiamus. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium Tuum, qui Tecum. &c.

Lecti-

Lectio IV.

SAncta Brigida Virgo in magna veneratione habetur in Scotia. Hæc ipso pueritiæ ab ævo in omni tempore in devotione, sanctitate & castitate DEO servire studuit, tantam quoq; gratiam à Deo consecuta; ut per eam multa signa & miracula fierent. Cumq; de manu cujusdam Episcopi velamen more monialium susciperet, super caput suum, ipsa inclinans se ad pedes altaris lignum quod erat altari adaptatũ ab antiquo, manu sua tetigit, & statim viride factum & in perpetuum viride mansit, & imputribile. Tantæq; pietatis fuit S. Brigida, ut quidquid habere poterat, pauperibus tribueret. Quadam autem vice puer quidam leprosus ad eam venit, petens aliquod beneficium ab ipsa; quæ dicit: „vis, ut adoremus Deum, & cureris à lepra? Respondit ille, hoc mihi acceptius est omni munere. Tunc Virgo Sancta benedixit aquam, & eadẽ aquâ

aquâ caput leprosi aspersit, & statim mundatus est, & gratias egit Deo, & transiit ad S. Brigidam serviens ei quamdiu vixit.

Lectio V.

QUodam tempore vidit quendam miserum duci ad damnationem, & condoluit ei tantùm ut pro liberatione ipsius oraret Deum. Factaq; oratione auri massam in sinu suo reperit, deditq; judici, ut reum dimitteret, & sic ille à morte liberatus est. Iterum quodam tempore Brigida Sancta, & quædam altera puella Sancta convenientes, totam noctem colloquiis deduxerunt, & tenebras noctis omnino non senserunt. Puella illa rogabat Sanctam Brigidam, ut benedictionem faceret super oculos ejus, ut videre posset: erat enim cæca & nunquam viderat. Tunc Sancta Brigida benedixit oculis ejus, & aperti sunt. Puella verò circumspiciens modicum, dixit Sanctæ Brigidæ, rogo te iterum, occlude oculos meos, ne ampliùs videam

mun-

mundum. Quantò enim homo minùs videt mundum, tantò clariùs videre poteſt Deum. Tunc Sancta Brigida fecit, ut iterum occluderentur oculi ejus, ſicut ipſa petebat.

Lectio VI.

CUm die quadam meſſores ejus ſegetem in agro colligerent, & pluvia maxima erumperet: à meſſoribus ſuis imbrem ſedavit; circumſtantibuſq; agris pluviâ madefactis ſola hujus area ſicca permanſit. Die quadam dum oves paſceret imbre cadente pannos perfuſa domum rediit, & veſtes madefactas ſuper ſolis radium, qui per rimas intrabat ſiccandas extendit, quæ quaſi in ſolida pertica diutiùs permanſerunt. Aquam in cereviſiam, & lapidem in ſalem convertit: & à nativitate cœcum illuminavit. Cum novem viri in mortem unius conſpiraſſent: & eos Virgo Chriſti ab intento peſſimo revocare non poſſet, oravit ad Dominum, ut nequam ipſorum voto reſiſteret. Egreſſis autem illis apparuit

ruit imago quædam quaſi illius hominis occidendi, quam illi gladiis percutientes, hominemq; peremiſſe putantes læti reverſi ſunt. Sed dum quid illis contigerat cognoverunt, compuncti ad pedes Virginis prociderunt & pœnitentiam egerunt. Sicq; Sancta Virgo multis clarens virtutibus quievit in pace Kalendis Februarij.

X FEBRUARII.

In Feſto S. Scholaſticæ Virginis.

Duplex minus.

Omnia de Communi Virginum præter ſequentia.

ORATIO.

DEUS, qui Animam Beatæ Virginis tuæ Scholaſticæ, ad oſtendēdam innocentiæ viam, in Columbæ ſpecie Cœlum penetrare feciſti; da nobis ejus meritis, & præcibus ita innocenter vivere, ut ad æterna mereamur gaudia pervenire. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente; quod ſi feſtum venerit in Quadrageſ. lect. erunt de Epiſt:

Pri-

prima B. Pauli Apostoli ad Corinth. *de comm. Virgin.*

In 2do Nocturno.

Ex libro secundo Dialogorum S. Gregorii Papæ. Cap. 33.

Lectio IV.

SCholastica Venerabilis Patris Benedicti Soror, Omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata; ad eum semel per annum venire consveverat; ad quam vir Dei non longè extra januam in possessione Monasterii descendebat. Quadam verò die venit ex more, atq; ad eam cum Discipulis venerabilis ejus descendit Frater, qui totum diem in DEI laudibus, sacrisq; colloquiis ducentes, incumbentibus jam noctis tenebris, simul acceperunt cibum. Cumq; adhuc ad mensam sederent & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis fœmina Soror ejus eum rogavit, dicens: Quæso te, ut ista nocte me non deseras, ut usq; mane de cœlestis vitæ gaudiis loquamur: Cui ille respondit: quid est quod lo-

loqueris Soror? manere extra cellam nullatenus possum. Tanta verò erat Cœli serenitas, ut nulla in àére nubes appareret. Sanctimonialis autem fœmina, cum verba Fratris negantis audivisset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus, Omnipotentem Dominum rogatura declinavit. Cúq; levaret de mensa caput, tanta coruscationis, & tonitrui virtus, tantaq; inundatio pluviæ erupit, ut neque venerabilis Benedictus, neq; Fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem movere potuerint.

℟. Propter veritatem. &c.

LECTIO V.

SAnctimonialis, quippè fœmina caput in manibus declinans, láchrymarum fluvium in mensam fuderat, per quas serenitatem àéris ad pluviam traxit. Nec paulò tardius post orationem inundatio illa secuta est sed tanta fuit convenientia orationis, & inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret: quatenus unum

unum, idemq; esset momentum, & levare caput, & pluviam deponere. Tunc Vir DEI inter coruscationes, & tonitrua, atq; ingentis pluviæ inundationem, videns se ad Monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus dicens. Parcat tibi Omnipotens DEUS: Soror quid est, quòd fecisti? Cui illa respondit: Ecce rogavi, & audire me noluisti; rogavi DEUM meum, & audivit me: modo ergo, si potes, egredere, & me dimissa ad Monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, qui remanere sponte noluit in loco, mansit invitus. Sicque factum est, ut totam noctem pervigilem ducerent atq; per sacra spiritualis vitæ colloquia, sese vicaria relatione satiarent.

℟. Dilexisti justitiam.

LECTIO VI.

CUmq; die altero eadem venerabilis fœmina ad cellam propriam recessisset, Vir DEI ad Monasterium redit. Cùm, ecce post triduum in cella consistens, elevatis

in àëra oculis, vidit ejusdem Sororis suæ Animam de corpore egressam in columbæ specie Cœlos penetrare. Qui, tantæ ejus gloriæ congaudens, Omnipotenti DEO in hymnis, & laudibus gratias reddidit, ejusq; obitum Fratribus denunciavit. Quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad Monasterium deferrent; atq; in sepulchro, quod sibi ipsi paraverat ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in DEO fuerat, eorum quoq; corpora nec sepultura separaret.

℟. Afferentur Regi Virgines.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangel: Simile erit Regnum Cœlorum decem Virginibus. *de Communi Virginum; & si venerit in Quadragesima IX. Lectio de Homilia Feriæ. Vt patet ex Decret. dat. sub Die* 8. *Feb:* 1729.

XIV. FEBUARII.

In Festo S. Ildephonsi Episcopi & Confessoris.

Semiduplex.

LECTIO IV.

ILdephonsus qui & Alphonsus dicitur

tur Natione Hispanus Nobilissimis Stephano & Lucia Parentibus ortus omniq; Cura nutritus, liberalibus disciplinis instructus est. Primum habuit Præceptorem Eugenium Toletanum Antistitem, à quo miram ob Indolem, Hispalim ad Isidornm mira hinc eruditione pollentem est missus. Duodecem apud Isidorum commoratus annos, tandem fruge bona doctrinaq; sana imbutus Toletum remeavit ad Eugenium. Postquam vero factus est ob vitæ candorem peritiamq; non vulgarem ab Eugenio Ecclesiæ Toletanæ Archidiaconus, mundi cupiens laqueos declinare, in Agaliensi Monasterio (quod Sanctis Martyribus Cosmæ & Damiano tunc erat dicatum) insigne pietatis cucullum induit. Cui neq; Parentes jam prece, jam vi omnia tentantes, obsistere valuerunt, quin constanter in proposito permaneret.

℟. Inveni David.

LECTIO V.

Monachi non multò post Ildephonsum in demortui Abba-

tis locum ſubrogarunt: Suſpiciebant ſiquidem in eo (præter virtutes reliquas) æquitatem morùm, facillitatem, prudentiam, raram ſanctitatem. Sanctus itaq; fulgor, tanta veræ pietatis lux (quod ipſe timebat) latere non potuit. Eugenio namq; vita functo, Cleri, ſenatus, populiq; totius decreto Toletanus Archiepiſcopus eſt creatus. In quo quidem Præſulatu quantum verbo Ildephonſus profecerit, quæ miracula ediderit, quam multis fuerit nominibus de Virgine Matre benemeritus non facile quis explicare quiverit. Cœnobium Virginum in Delienſi villula ædificavit, àc magnis muneribus auxit. Hæreticos quosdam, qui in Hiſpania Hæreſim Helvidianam tollentem perpetuam Mariæ DEI Genitricis Virginitatem diſſeminabant, doctiſſimè confutavit ab Hiſpaniaq; depulit, quam diſputationem explicavit libro, quem ſcripſit de Virginitate Beatæ MARIÆ, rem miraculo confirmante. Cùm enim Ildephonſus ad preces matutinas Ex-

pectationis B. MARIÆ in Ecclesiam nocte descenderit, Comites in Ecclesiæ limine, fulgore quodam repentino deterriti retrocesserunt: iste intrepidus ad aram progressus Virginem ipsam vidit & adoravit, ab eademq; vestem qua in sacrificiis uteretur accepit. ℞. Posui adjutorium.

LECTIO V.

CUM etiam dies S. Leocadiæ festus ageretur, & Clerus frequensq; populus convenisset. Ildephonsus ad Sepulchrum Virginis Leocadiæ accedens, flexis suppliciter genibus precabatur. Et ecce reserato repente Sarcophago Leocadia Sanctissima prodiit: Videntibus cunctis & audientibus, Ildephonsi merita de Virgine MARIA commendavit, dicens. O Ildephonse per te vivit Domina mea quæ cœli culmina tenet. Et Præsule collaudato redibat. Ildephonsus ne res tanta sine testibus Posteris referretur arrepto Recesvinthi Regis qui forte tunc aderat, gladiolo, velaminis partem quo Caput Leocadiæ tegebatur

rese-

resecuit, eamq; cum Regio simul cultu celebri pompa in Sacrarium intulit; Ubi usq; hodie servatur. Scripsit multa luculentiori sermone, quorum, variis molestiarum occupationibus impeditus aliqua cæpta, aliqua semiplena reliquit. Obiit tandē Ildephonsus feliciter ac Sanctè cum sedisset in Episcopatu Annos novem menses duos, sepultusq; est in Basilica Leocadiæ. Circa Annum Domini Sexcentesimum Septuagesimum Septimum, Recesvintho in Hispania regnante. Cujus corpus in Generali à Sarracenis Hispaniarum occupatione in Civitatem Zamorensem translatum est; & in Ecclesia Beati Petri honorifice quiescens magna illius populi religione colitur. ℟. Iste est qui.

In Tertio Nocturno Homilia Sancti Augustini Episcopi in Evangelium. Vos estis Sal terræ. *De Communi Doctorum.*

IV. APRILIS.

In Festo S. Isidori Episcopi & Confessoris

Duplex minus

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter ea, quæ hic ponuntur propria.

Ad Magnificat in utrisq; Vesp. Antiph.

O Doctor optimè Ecclesiæ Sanctæ lumen, beate Isidore, Divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium DEI.

ORATIO.

DEUS, qui populo Tuo æternæ salutis Beatum Isidorum Ministrum tribuisti: præsta, quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum &c.

In primo Nocturno. *Lectiones* Sapientiam omnium antiquorum, *de communi Doctorum.*

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

ISidorus natione Hispanus, Doctor egregius, ex nova Carthagine Severiano Patre Provinciæ Duce natus, à Sanctis Episcopis Leandro Hispalensi

lensi, & Fulgentio Carthaginensi Fratribus suis piè, & liberaliter educatus, Latinis, Græcis, & Hebraicis litteris, divinisq; & humanis legibus instructis, omni scientiarum, atq; Christianarum virtutum genere præstantissimus evasit. Adhuc adolescens hæresim Arrianam, quæ gentem Gothorum Hispaniæ latissimè dominantem jam pridem invaserat, tanta constantia palam oppugnavit, ut parùm abfuerit, quin ab Hereticis necaretur. Leandro vitâ functo ad Hispalensem Cathedram invitus quidem, sed urgente imprimis Reccaredo Rege, magnoque etiam Cleri, Populique consensu assumitur, ejusque electionem S. Gregorius magnus, nedum authoritate Apostolica confirmasse, sed & electum transmisso de more pallio decorasse, quin etiam suum, & Apostolicæ Sedis in universa Hispania Vicarium constituisse perhibetur.

℟. Inveni &c.

LECTIO V.

IN Episcopatu quantùm fuerit constans, humilis, patiens, misericors, in Christiana, & Ecclesiastica disciplina instauranda sollicitus, eaq; verbo, & scriptis stabilienda indefessus, atq; omni demum virtutum ornamento insignitus, nullus linguâ narrare sufficeret. Monastici quoq; instituti per Hispaniam promotor, & amplificator eximius plura construxit Monasteria, Collegia itidem ædificavit, ubi studiis sacris, & lectionibus vacans, plurimos discipulos, qui ad eum confluebant, erudivit. quos inter Sancti Ildefonsus Toletanus, & Braulius Cæsaraugustanus Episcopi emicuerunt. Coacto Hispali concilio Acephalorum hæresim Hispaniæ jam minitantem, acri, & eloquenti disputatione fregit, atq; contrivit. Tantæ apud omnes sanctitatis, & doctrinæ famam adeptus est, ut elapso vix ab ejus obitu sextodecimo anno universa Toletana Synodo duorum supra quinquaginta Episcoporum plau-

plaudente, ipsoq; etiam S. Ildephonso suffragante, Doctor egregius Catholicæ Ecclesiæ novissimum decus, in sæculorum fine doctissimus, & cum reverentia nominandus appellari meruerit; eumq; S. Braullio non modo Gregorio Magno comparavit, sed & erudiendæ Hispaniæ loco Jacobi Apostoli cœlitus datum esse censuerit.

℟. Posui adjutorium. &c.

LECTIO VI.

SCripsit Isidorus libros Ethymologiarum, & de Ecclesiasticis Officijs, aliosq; quam plurimos Christianæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ adeò utiles, ut S. Leo Papa IV. ad Episcopos Britanniæ scribere non dubitaverit, sicut Hieronymi, & Augustini, ita Isidori dicta retinenda esse, ubi contigerit inusitatum negotium quòd per Canones minimè definiri possit. Plures etiam ex ejusdem scriptis sententiæ inter Canonicas Ecclesiæ leges relatæ conspiciuntur. Præfuit Concilio Toletano IV. omnium Hispaniæ cele

berrimo. Deniq; cum ab Hispania Arrianam hæresim eliminâsset, morte sua, & Regni vastatione à Saracenorum armis publicè prænunciata, postquam quadraginta circiter annos suam rexiisset Ecclesiam, Hispali migravit in cœlum anno sexcentesimo trigesimo sexto. Ejus corpus inter Leandrum fratrem, & Florentinam sororem, ut ipse mandaverat, primò conditum, Ferdinandus I. Castellæ, & Legionis Rex ab Eneto Saraceno Hispali dominante magnô pretiô redemptum Legionem transtulit, & in ejus honorem Templum ædificatum est, ubi miraculîs clarus. magna populi devotione colitur, ℟. Ist est &c.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Evang: secũdum Matthæum *Cap.* 5.

LECTIO VII.

IN illo tempore dixit JESUS Discipulis suis. Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. *Et reliqua &c.* Ho-

Homilia S. Isidori Episcopi.

Ex lib. 2. Officiorum ad S. Fulgentium Cap. 5.

QUi in erudiendis, atq; instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est ut in omnibus Sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subjectos arguere poterit, cùm illi statim possit correctus ingerere ante doce te, quæ recta sunt? Primitùs quippè semetipsum corrigere debet, qui alios ad bené vivendum admonere studet, ita ut in omnibus semetipsum formam vivendi prebeat, cunctosq; ad bonum opus, & doctrinâ, & opere provocet. Cui etiam scientia scripturarum necessaria est. Quia si Episcopi tantum sancta sit vita? sibi soli prodest, sic vivens. Porrò si doctrina, & sermone fuerit eruditus, potest cæteros quoq; instruere & docere suos, & adversarios repercutere, qui nisi refutati fuerint, atq; convicti, facilè possunt sim-

simplicium corda pervertere.

℟. Amavit eum Dominus.

Lectio VIII.

HUjus sermo debet esse purus, simplex, apertus, plenus gravitatis, & honestatis, plenus suavitatis, & gratiæ, tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ, de disciplina justitiæ: unumquemq; admonens diversa exhortatione, juxta professionem, morumq; qualitatem, scilicet, ut prænoscat quid, cui, quando, vel quomodo proferat. Cujus præ cæteris speciale Officium est, scripturas legere, percutere Canones, exempla Sanctorum imitari, vigiliis, jejuniis, orationibus incumbere, cum fratribus pacem habere, nec quemquam de membris suis discerpere, nullum damnare, nisi cumprobatum, nullum excommunicare nisi discussum. Quiq; ità humilitate pariter, & authoritate præesse debet, ut neq; per nimiam humilitatem suam subditorum vitia convalescere faciat, neq; per immoderantiam severitatis potestatem

tem exerceat, ſed tantò cautiùs ergà commiſſos ſibi quantò duriùs à Chriſto indagari formidat.

℟. In medio Eccleſiæ aperuit.

Lectio IX.

TEnebit quoq; illam ſuperemi-nentem donîs omnibûs charitatem, ſinè qua omnis virtus nihil eſt. Cuſtos enim caſtitatis charitas, locus hujus cuſtodis autē humilitas. Habebit etiam inter hæc omnia caſtitatis eminentiam; ita ut mens Chriſto dedita, ab omni inquinamento carnis ſit munda, & libera. Inter hæc oportebit cum ſollicita diſpenſatione curam pauperum gerere, eſurientes paſcere, veſtire nudos, ſuſcipere peregrinos, captivos redimere, viduas, ac pupillos tueri, per vigilem in cunctis exhibere curam, providentiam habere diſtributione diſcreta. In quo etiam hoſpitalitas ita erit præcipua, ut omnes cum benignitate, & charitate ſuſcipiat. Si enim omnes fideles illud Evangelium audire deſiderant, hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me; quantò magìs Epiſcopus,

pus. cujus diverſorium cunctorum debet eſſe receptaculum ?

Te Deum laudamus &c.

Miſſa In medio Eccleſiæ *de Communi Doctorum. Et dicitur* Credo.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

Officium Patrocinii S: Joſeph Confeſſoris Sponſi B. M. V.

Duplex ſecundæ Claſſis.

AD VESPERAS.

Antiphona. Jacob autem, *cum reliquis de laudibus. Pſalmo* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi Pſalm.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. Geneſ. 49.

BEnedictiones Patris Tui confortatæ ſunt benedictionibûs Patrum ejus ; donec veniret deſiderium collium æternorum ; fiant in capite Joſeph, & vertice Nazaræi inter fratres ſuos.

Hymnus, ùt in ejus Feſto.

℣. Conſtituit eum Dominum domûs ſuæ, Allel.

℟. Et

℟. Et principem omnis possessionis suæ, Allel.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cùm esset Desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, Allel.

ORATIO.

DEUS, qui ineffabili providentia beatum JOSEPH Sanctissimæ Genitricis Tuæ Sponsum eligere dignatus es: præsta quæsumus; ut *intercessorem* habere mereamur in cœlis. Qui vivis, & regnas &c.

Et fit Commemoratio Dominicæ.

Ad matutinum Invitatorium.

Laudemus DEUM nostrum: * In veneratione Beati Joseph Protectoris nostri, Alleluja.

Psalm. Venite exultemus.

Hymnus. Te Joseph, celebrent agmina cœlitum, *sicut in Vesperis.*

In primo Nocturno, Antiphona.

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: Surge & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge

ge in Ægyptum, & esto ibi, usq; dùm dicam tibi, Alleluja.

Psalmi dicuntur de Communi Confessorum non Pontificum.

℣. Confitebor nomini Tuo, Alleluja.

℟. Quoniam adjutor, & Protector factus es mihi, Alleluja.

De libro Genesis.

LECTIO I. CAP. XXXIX.

IGitur Joseph ductus est in Ægyptum, emitq; eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, Princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismàélitarum, à quibus perductus erat. Fuitq; Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens; habitavitq; in domo Domini sui, qui optimè nòverat, Dominum esse cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitq; Joseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, & universa, quæ ei tradita fuerant. Benedixitq; Dominus domui Ægiptii propter Joseph, & multiplicavit tam

in

in ædibus, quàm in agris cunctam e-
jus ſubſtantiam. Nec quidquam a-
liud noverat, niſi panem, quo ve-
ſcebatur. Erat autem Joſeph pul-
chra facie, & decoro aſpectu.

℟. Clamavit Populus ad Regem, alimenta petens * Quibus ille reſpondit: ite ad Joſeph. Alleluja.

℣. Salus noſtra in manu tua eſt: reſpice nos tantùm, & læti ſerviemus Regi. Quibus ille.

Lecttio II. Cap. LXI.

PLacuit Phraoni conſilium, & cunctis miniſtris ejus, locutuſque eſt ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui ſpiritu DEI plenus ſit? Dixit ergo ad Joſeph: Quia oſtendit tibi DEUS omnia, quæ locutus es; numquid ſapientiorem, & conſimilem tui invenire potero? Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantùm Regni ſolio te præcedam. Dixitq; rurſus Pharao ad Joſeph: Ecce conſtitui te ſuper univerſam terram Ægypti. Tulitq; annulum de manu ſua, & dedit e-

um

um in manum ejus, vestivitq; eum stolâ byssimâ, & collo torquem auream circumposuit. Fecitq; eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti.

℟. Fecit me Deus quasi Patrem Regis & dominum universæ domus ejus * Exaltavit me, ut salvos faceret multos populos, Allel.

℣. Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. Exaltavit.

LECTIO III.

DIxit quoq; Rex ad Joseph: Ego sum Pharao: absq; tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti. Vertitq; nomen ejus, & vocavit eum linguâ Ægyptiacâ Salvatorem mundi. Deditq; illi uxorem Aseneth filiam Putiphar Sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaq; Joseph ad terram Ægypti (triginta autem annorum erat, quando stetit in an-

no.

conſpectu Regis Pharaonis) & circuivit omnes Regiones Ægypti. Venitquè fertilitas ſeptem annorū, & in manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea Ægypti. Omnis etiam frugum abundantia in ſingulis urbibus condita eſt. Tantaquè fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, & copia menſuram excederet.

℟. Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo. Non ſum fraudatus aſpectu tuo: * Inſuper oſtendit mihi Dominus ſemen tuum; Alleluja.

℣. Qui paſcit me ab adoleſcentia mea, benedicat pueris iſtis: & invocetur ſuper eos nomen meum. Inſuper: Gloria Patri. Inſuper.

In ſecundo Nocturno, Antiphona.

Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſràél; defuncti ſunt enim, qui quærebant animã, pueri, Allel. ℣. Reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtã, Alleluja.

℟. Et perfice eam, Alleluja.

Sarmo Sancti Bernardini Senensis.

Serm. 1. de S. Ioseph. *Lectio IV.*

OMnium singularium gratiarum, alicui rationabili creaturæ cõmunicatarum, generalis regula est; quòd, quandocunquè divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donet, quæ illi personæ sic electæ, & ejus officio necessaria sunt, atquè illam copiosè decorant. Quòd maximè verificatum est in Sancto Ioseph putativo Patre D. Nostri IESU Christi, & vero sponso Reginæ mundi, & Dominæ Angelorum, qui ab æterno Patre electus est fidelis Nutricius, atque Custos principalium thesaurorum, scilicet Filij ejus, & Sponsæ suæ; quod officium fidelissimè prosecutus est. Cui propterea Dominus ait: Serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

℟. Dedisti mihi protectionem salutis tuæ & dextera tua suscepit

pit

pit me, * Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus Alleluia.
℣. Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Protector.

Lectio v.

SI compares eum ad totam Eccleſiam Chriſti, nonnè iſte eſt homo electus, & ſpecialis, per quē, & ſub quo Chriſtus eſt ordinate & honeſtè Introductus in mundum? Si ergo Virgini Matri tota Eccleſia ſancta debitrix eſt, quia per eam Chriſtum ſuſcipere digna facta eſt: ſic profectò, poſt eam huic debet gratiam, & reverentiam ſingularem. Ipſe enim eſt clavis veteris Teſtamenti, in qua Patriarchalis dignitas promiſſum conſequitur fructum. Porro hic eſt ſolus, qui corporaliter poſſedit, quod eis divina dignatio repromiſit. Meritò igitur figuratur per illum Patriarcham Ioſeph, qui Populis frumenta ſervavit. Sed & hic illum præcellit, quia non ſolùm Ægyptijs panem corporalis vitæ, ſed omni-

bus electis panem de cœlo, qui cœlestem vitam tribuit, cum multa solertia enutrivit.

℟. Statuet filium suum sub tegmine illius, & sub ramis ejus morabitur, protegetur sub tegmine illius à fervore: * Et in gloria eius requiescet, Alleluja.

℣. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra. Et in gloria.

Lectio vi.

PRofectò dubitandum non est, Christus familiaritatem, reverentiam, atque sublimissimam dignitatem, quam sibi exhibuit, dum ageret in humanis, tanquam filio, Patri suo in cœlis utiquè non negavit, quin potiùs conplevit, & consummavit. Unde non immeritò in verbo proposito à Domino subinfertur: Intra in gaudium Domini tui. Unde, licet gaudium æternæ beatitudinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere: Intra in gaudium; ut mysticè innovatur, quòd gaudium illud

lud non solùm in eo sit intra, sed undiquè illum circumdans, & absorbens, & ipsum velut abyssus infinita submergens. Memento igitur nostri, beate Ioseph, & tuæ orationis suffragiô apud tuum putativum Filium intercede: sed & Beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quæ Mater est ejus, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat per infinita sæcula sæculorum, Amen.

℟. Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum: * Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo, Alleluja.

℣. In te cantatio mea semper, quoniam tu adjutor fortis. Si exurgat. Gloria Patri. Si exurgat.

In tertio Nocturno, Antiphona.

Consurgens Ioseph accepit puerum, & Matrem ejus, & venit in terram Israël, & habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, Alleluia.

℣. Invocavi Dominum Patrem Domini mei, Alleluja.

℟. Ut non derelinquat me in die tribulationis, Alleluja. Le-

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap: 3.

IN illo tempore: Factum est autem, cùm baptizaretur omnis populus, & JESU baptizato, & orante, apertum est cœlum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Lib: 2. de Consensu Evangelist.

MAnifestum est, illud, quod, ait; Ut putabatur filius Ioseph: propter illos dixisse, quia eum ex Ioseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrantur. Quos autem movet, quod alios progenitores Matthæus enumerat descendens à David usque ad Ioseph, alios autem Lucas ascendens à Ioseph, usque ad David: facilè est, ut advertant, duos Patres habere potuisse Ioseph: unum à quo genitus, alterum à quo fuerit adoptatus. Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam in illo populo DEI, ut sibi filios facerent, quos non ipsi genuissent. Unde intelligitur Lucas Patrem Ioseph, non

à quo

à quo genitus, sed à quo fuerat adoptatus, suscepisse in Evangelio suo, cujus progenitores sursum versus commemorat, donec exiret ad David.

℟. Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enimin ea natum est, de Spiritu sancto est; pariet autem filium: * Et vocabis nomen ejus JESUM. Allluja.

℣. Ipse enim salvum faciet Populum suum à peccatis eorum. Et vocabis.

Lectio VIII.

CUm enim necesse sit, utroque Evangelista vera narrante, & Matthæo scilicet, & Luca, ut unûs eorum ejus Patris originem teneret, qui genuerat: alter ejus, qui adoptaverat Ioseph; quem probabiliùs intelligimus adoptantis originem tenuisse, quàm eum, qui noluit Ioseph genitum dicere ab illo, cujus eum filium esse narrabat? Mathæus autem dicens: Abraham genuit Isaac,

Isaac

Isaac genuit Iacob, atque ita in hoc verbo, quod est genuit, perseverans, donec in ultimo diceret, Iacob autem genuit Ioseph; satis expressit, ad eum patrem se perduxisse originem generantium à quo Ioseph non adoptatus, sed genitus erat. Quamquam, si etiam Lucas genitum diceret Ioseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus, quàm ab uno Evangelista gignentem, ab altero adoptantem Patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurdè quisquè dicitur non carne, sed charitate genuisse, quem filium sibi adoptaverit. At verò etiam nos, quibus dedit DEUS potestatem filios ejus fieri, de natura atque substantia sua non nos genuit sicut unicum Filium: sed utique dilectione adoptavit.

℟. Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus & fuge in Ægyptū: * Et esto ibi, usquè dum dicam tibi, Alleluja.

℣.

℣. Ut adimpleretur, quod dictũ est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meũ. Gloria. Et esto. *Lectio IX.*

Lectio sancti Evangelii secundũ Joannem. Cap: 16. b.

IN illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Modicum, & jam non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem, Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi. *Tract: 102. in Ioannem, sub fine.*

MOdicum est hoc totum spatium, quo præsens pervolat sæculum. Unde dicit idem ipse Evangelista in Epistola sua: Novissima hora est. Ideò namquè addidit: Quia vado ad Patrem: quòd ad priorem sententiam referendum est, ubi ait: Modicum, & jam nõ videbitis me: non ad posteriorem, ubi ait: Et iterum modicum, & videbitis me. Eundo quippe ad Patrem, facturus erat, ut eum non viderent. Ac per hoc non ideò dictum est, quia fuerat moriturus,

& donec resurgeret; ab eorum aspectibus recessurus; sed quòd esset iturus ad Patrem; quod fecit posteaquam resurrexit, & cum eis per quadraginta dies conversatus, ascẽdit in cœlum.

Te DEUM laudamus.

AD LAUDES.

Et per Horas, Antiphona.

JAcob autem genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus, Allel:

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Missus est Angelus Gabriel à DEO in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginẽ desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, Alleluja!

Antiph. Ascendit autem Joseph à Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, Alleluia.

Antiph: Et venerunt festinantes, & invenerunt Mariam, & Joseph, & infantem positum in præsepio Alleluja, Alleluja.

Anti-

Antiph. Et ipſe JESUS erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Joſeph, Alleluja.

Capitulum. Gen: 49.

BEnedictiones Patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrũ ejus; donec veniret deſiderium collium æternorum: fiant in capite Joſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos.

Hymn ut in feſto.

℣. Dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, Alleluia.

℟. Et dextra tua ſuſcepit me, All.

Ad Benedictus Antiphona.

Joſeph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt, Alleluja.

Oratio. DEUS, qui ineffabili. *ut ſupra.*

Et fit Commemoratio Dominicæ.

Ad Terriam, Antiphona Miſſus eſt.

Capitulum. Benedictiones Patris tui. *ut ſupra.*

℟. *br.* Conſtituit eum Dominũ domûs ſuæ, * Alleuja, Alle. Conſtituit eum.

℣.

℣. Et principem omnis possessionis suæ. Alleluja, Allel.
Gloria Patri, Constituit.
℣. Confitebor nomini tuo, Allel.
℟. Quoniam adjutor, & Protector factus es mihi, Alleluja.
Ad Sextam, Antiphona. Ascendit autẽ *Capitulum.* Gen: 49.

DEUS patris tui erit adjutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper.
℟. *br.* Confitebor nomini tuo, * Alleluja. Allel. Confitebor.
℣. Quoniam adjutor, & Protector factus est mihi, Alleluja, Allel.
℣. Gloria Patri, Confitebor.
℣. Justus germinabit sicut lilium,
℟: Et florebit in æternum ante Dominum, Alleluja.
Ad Nonam, Antiphona: Et ipse JESUS. *Capitulũ* *Gen:* 49.

FIlius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum.
℟. *br.* Justus germinabit sicut lilium, * Allel. Allel. Justus germinabit.

℣.

℣. Et florebit in æternum ante Dominum Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Iustus.
℣. Plantatus in domo Domini Allel.
℟. In atriis domûs DEI nostri, All:
In secundis Vesper. omnia ut in primis, exceptis sequentibus.
℣. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, Alleluja.
℟. Et fructus ejus dulcis gutturi meo, Alleluja.

Ad Magnificat Antiphona.

Fili, quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, Alleluja.
Oratio: Deus, qui ineffabili. *ut supra.*
Et fit cõmemoratio Dominicæ.

DIE 25. MAIJ.

In Festo S. GREGORII VII. Papæ & Confessoris.

Duplex minus.

Omnia de communi Confessoris Pontificis, præter ea quæ hic ponuntur propria. ORATIO.

DEUS in te sperantiũ fortitudo, qui B. Gregorium Confessorẽ

tuum,

tuum, atque Pontificem pro tuenda Ecclesiæ libertate virtute constantiæ roborasti; da nobis ejus exemplo, & intercessione omnia adversantia fortiter superare. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente,

In Secundo Nocturno, Lectio IV.

GRegorius Papa VII. antea Hildebrandus, Suanæ in Etruria natus, doctrinâ, Sanctitate, omniq; virtutum genere cum primis nobilis, mirifice universam DEI illustravit Ecclesiam. Cùm Parvulus ad Fabri ligna edolantis pedes, jam litterarum inscius, luderet, ex rejectis tamen segmentis illa Davidici elementa oraculi, Dominabitur à mari usque ad mare, casu formasse narratur. manum pueri ductante Numine, quo significaretur ejus fore amplissimam in Mundo auctoritatē. Romam deinde profectus, sub protectione Sancti Petri educatus est. Juvenis Ecclesiæ libertatem à Laicis oppres-

pressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementius dolens, in Cluniacensi Monasterio, ubi sub regula S. Benedicti austerioris vitæ observantia eo tempore maximè vigebat, Monachi habitum induens, tanto pietatis ardore Divinæ Majestati deserviebat, ut à Sanctis ejusdem Cœnobii Patribus Prior sit electus. Sed Divinâ providentiâ majora de eo disponente in salutem plurimorum, Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primum Monasterii S. Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodum Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus, sub summis Pontificibus, Leone IX. Victore II. Stephano IX. Nicolao II. & Alexandro II. præcipuis muneribus, & legationibus perfunctus est, sanctissimi, & purissimi consili vir à Beato Petro Damiano nuncupatus. A Victore Papa II. Legatus à latere in Galliã missus, Lugduni Episcopum Simoniaca labe infe-

infectum ad sui criminis confessionem miraculo adegit. Berengarium in Concilio Turonensi ad iteratam hæresis abjurationẽ compulit. Cadolai quoq; schisma virtute sua cõ pressit. ℟. Inveni David. &c.

LECTIO V.

MOrtuo Alexandro II. invitus, & mærens unanimi omnium consensu, decimo Kalendas Maji, ãno Christi millesimo septuagesimo tertio, summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in domo DEI: nam potens opere, sermone, Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ, Fidei propagandæ, libertati Ecclesiæ restituendæ, extirpandis erroribus, & corruptelis tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum ætate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia DEI labores, molestiasq; pertulerit, aut qui pro ejus libertate acriùs pugnaverit. Aliquot Provincias à Simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta impavidus

vidus permansit, seque pro muro domui Israël ponere non timuit, ac eundem Henricũ in profundum malorum prolapsum, fidelium communione, regnoque privavit, atque subditos populos fide ei data liberavit. ℟. Posui &c.

LECTIO VI.

DUm Missarum solemnia perageret, visa est viris piis Columba è Cœlo delapsa humero ejus dextro insidens, alis extensis caput ejus velare, quo significatum est, Spiritus sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus ipsum duci in Ecclesiæ regimine: Cum ab iniqui Henrici exercituRomæ gravi obsidione præmeretur, excitatũ ab hostibus incendium signo Crucis extinxit. De ejus manu tandem à Roberto Guiscardo Duce Northmanno ereptus, Casinum se contulit; atque inde Salernum ad dedicandã Ecclesiam Sancti Matthæi Apostoli contendit. Cum aliquando in ea Civitate sermonem habuisset ad populum, ærumnis confectus in mor-

morbum incidit, quo se interiturum præscivit. Postrema morientis Gregorii verba fuêre: Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio. Innumerabilia sunt, quæ vel fortiter sustinuit, vel multis coactis in Urbe Synodis sapienter constituit; vir verè sanctus, criminum vindex, & acerrimus Ecclesiæ defensor. Exactis itaque in Pontificatu annis duodecim migravit in Cœlum, anno salutis millesimo octogesimo quinto, pluribus in vita, & post mortẽ miraculis clarus, ejusque sacrum Corpus in Cathedrali Basilica Salernitana est honorificè conditum.

℟. Iste est.

In tertio Nocturno, Homilia S. Hilarij Episcopi in Evangelio Vigilate, *de eodem Communi:*

Missa: Statuit *de communi Confes: Pontif:* Oratio *ut supra Evangelium* Vigilate. Credo *non dicitur.*

IN OCTAVA S. JOANNIS BAPTISTÆ in 3. Nocturno Lectiones.

Lectio

Lectio S. Evang. sdũ. Lucam Cap. 1.

ELizabeth impletum est tempus pariendi, & peperit Filium, & audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et reliqua.

De Homilia S. Ambrosij Episcopi *Lib. 2. in Lucam, cap. 1. in fine.*

ET Zacharias Pater ejus impletus est Spiritu Sancto, & prophetabat. Vide quàm Bonus DEUS, & facilis indulgere peccatis, non solùm ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Jlle dudum mutus, prophetat. Hæc enĩ gratia DEI maxima, quòd eum, qui negaverat, confitetur. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius delictorũ, præmia Divina desperet. Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.

Tu autem Domine miserere nobis.

LECTIO VIII.

ET tu puer Propheta Altissimi vocaberis. Pulchrè, cùm de Domino prophetaret, ad Prophetam sua

ſua verba convertit, ut hoc quoque beneficium eſſe Domini deſignaret, nè cum publicè enumeraret ſua, quaſi ingratus tacuiſſe videretur, quæ agnoſcebat in filio. Sed fortaſsè aliqui quaſi irrationabilem mentis exceſſum putent, quod 8. dierum alloquitur infantē. Verùm ſi teneamus, intelligemus profectò, quòd potuit vocem Patris natus audire, qui MARIÆ ſalutationem, antequam naſceretur, audivit.

Tu autem Domine miſerere nobis.

LECTIO IX.

SCiebat profectò aliàs eſſe aures Prophetæ, quæ Spiritu DEI, non corporis ætate, reſerantur. Habebat intelligendi ſenſum, qui exultandi habebat affectum. Simul illud adverte quā paucis Elizabeth, quā multis Zacharias prophetet: & uterque Sancto repletus Spiritu, loquebatur, ſed diſciplina ſervatur, ut mulier diſcere magis, quæ Divina ſunt, ſtudeat, quā docere.

DIE 16. JULII.

In Festo B.V.M. de Monte Carmelo.

Duplex majus.

Omnia dicuntur, ut in Festo S. Mariæ ad Nives 5. Augusti, præterea, quæ hic sequuntur. Ad Magnificat, Antiph.

Sancta MARIA succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam solemnem cõmemorationem.

ORATIO.

DEus, qui beatissimæ semper Virginis, & Genitricis tuæ MARIÆ singulari titulô Carmeli Ordinem decorâsti: concede propitius; ut, cujus hodie Cõmemorationem solemnî celebramus Officiô, ejus muniti præsidijs, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis, & regnas &c.

Lectiones 2di nocturni & cum Responsoriis legũtur Propriæ ex Festo Hodierno ut in Breviario.

Antiph: ad Benedictus: Caput tuũ ut Carmelus, & comæ Capitis Tui ficut purpura Regis vincta Canalib9.

In 2dis Vesp. Antiph: ad Magnificat. Gloria Libani data eſt ei, Decor Carmeli & Saron Allel.

Miſſa Gaudeamus. *Quæ eſt in feſto illius propria ad finem Miſſalis.*

Die 24. *Iulij.* S. CHRISTINÆ Virg. Mart: *Omnia de Communi Virg. & Martyris, præter ea, quæ hic aſſignantur propria.*

ORATIO.

Indulgentiam Nobis quæſumus Domine &c. *ut in Communi V. Mart: Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente. In 2do Nocturno.*

LECTIO IV.

CHRISTINA nobiliſſimis orta Parentibus in Tyro Italiæ, à Patre in quadam turri cum duodecim pediſſequis collocata, deos argenteos & aureos ſecum habens, & cùm pulcherrima eſſet à multis in conjugium petebatur. Parentes verò eam matrimonio tradere no-

le-

lebant, volentes eam in deorum cultura permanere; Jlla vero à Spiritu S. edocta Parentum Sacrificia abhorrebat, & incensa diis immolanda in fenestra abscondebat, venienti autem Patri ejus pedissequæ dixerunt: Filia tua, Domina nostra, dijs immolare contemnit, & Christianam se esse asserit. Mater igitur ei blandiens, ad deorum culturam provocabat, cui illa ait: Noli me vocare Filiam tuam, sed ejus, quem decet Sacrificium laudis, nõ enim diis mortalibus, sed DEO cæli offero Sacrificia. Cui Pater: Filia non uni tantùm DEO Sacrificium offeras, ne tibi alii irascantur. Cui illa: benè locutus es, nesciens veritatem, offero enim Patri, & Filio & Spiritui S. Cui Pater: Si Tres adoras, cur etiam, & alios non adoras? Cui illa: Tres isti unum sunt.

LECTIO V.

POst hæc CHRISTINA deos confregit, & aurum ac argentum pauperibus erogavit. Rediens Pater

ter

ter voluit deos adorare, ſed eos non inveniens, ab ancillis quid eis CHRISTINA fecerit, audiens iratus juſſit eam expoliari, & â duodecim viris cædi, adeò ut illi verberando defecerint. Tunc Chriſtina Patri dixit: ſine honore es & abominabilis DEO, ecce qui me cædunt, deficiunt; pete eis, ſi vales ex diis tuis virtutem. Tunc eam catenatam in carcerem miſit; audiens hæc Mater, ſcidit veſtimenta ſua, & ad carcerem currens, ad pedes Filiæ ſuæ ſe proſternit, dicens. Filia mea lumen oculorū meorum, miſerere mihi: Cui Illa: quid me dicis Filiam tuam, an neſcis, quia Nomen DEI mei habeo. Cumque nil perſvadere poſſet, ad virum rediit, & quid ſibi reſponderit, prædicavit. Tunc Pater juſſit eam ad ſe duci, & dixit ei: Sacrifica Diis, ſi autem non ſacrificaveris, multîs afficieris tormentîs, & filia mea non vocaberis. Cui illa, magnam gratiam mihi præſtitiſti, quia jam non vocas Filiam diabo-

diaboli. Tunc jussit carnes ungulîs radi, illa verò de carnibus suis accipiens in vultum Patris projecit, dicens: Tyranne carnem à te genitam comede. *Tu autem Domine miserere nobis.*

LECTIO VI.

TUnc Pater jussit illam in rotam poni, & ignem cum oleo succendi, sed flamma exiliens, mille & quingentos interfecit. Pater autem hæc omnia magicis artibus adscribens, ipsam iterum in carcerem misit, & jussit nocte pueros duos, ut lapidem molarem alligarent ad collum ejus, & eam in mare proiicerent, quod etiam fecissent, sed protinus eam Angeli assumunt, CHRISTUS verò eam in mari baptizavit dicens: Baptizo te in DEO Patre meo, & in me JEsu CHRISTO Filio ejus; & in Spiritu S. & cōmisit eam Michàéli Archangelo qui eam ed terrā reduxit. Quod Pater audiens, & frontem suam percutiens dixit: quibus maleficiis hæc facis? Cui illa: stulte

&

& infelix à CHRISTO hanc gratiam accepi; iterùm in carcerem eam misit, jubens ut manè decollaretur. In ipsa autem nocte Pater ejus Nomine Urbanus mortuus est. Huic Dion Iudex iniquus successit, qui urnam succensam ferream cum oleo, cerâ, & pice, parari jussit, & gloriosam CHRISTINAM ibidē jactari, & à quatuor viris agitari, ut citiùs consumeretur. Tunc Christina DEUM laudat, quòd eam nuper renatam ut infantulam in cunabulis; agitari vellet. *Tu autē Domine miserere Nobis DEO gratias.*

In 3tio Nocturno Homilia in Euangelium de Thesauro *ut in communi.*

DOMINICA *proxima post XXIV. Iul.*
B. CUNEGUNDIS Virg: Clarissæ
Duplex 1mæ Classis cum octava.

Omnia de Communi Virginum primo loco; præter ea, quæ hic sunt propria.

ORATIO.

DEus, qui Beatam Cunegundem dulcedinis tuæ benedictionibûs prævenisti, ac virginem etiam in con-

conjugio conservâsti; præsta, quæsumus; ut, ipsa intercedente, per vitæ puritatem tibi jugiter adhærere, & per ejus vestigia gradientes, ad te pervenire feliciter mereamur. Per Dominum &c.

Lectiones primi Nocturni de Virginibus &c. occur. In 2. Nocturno.

LECTIO IV.

CUnegundis Hungariæ Rege Bela, & Maria Alexii Græcorum Imperatoris Filia parentibùs genita, Sanctorum Vladislai, Hedvigis, Salomeæ, Elisabeth, & Ludovici, non minùs illorum virtutum, quã regii sanguinis cognatione præfulsit. Cùm adhuc in utero gestaretur, clara voce cœlitùs emissa, Mater didicit, se prolem eximiæ Sanctitatis parituram. Vix autem in lucem edita, lingvam in verba mirabiliter soluit, quibus Beatissimã Virg: Cœlorum Reginam salutavit. Tum veluti infantiæ impedimenta nesciret, admiranda præbuit futuræ Sanctitatis, argumenta; nam

nam quartîs, & sextîs, quibusque feriîs semel tantùm lac sugebat; cùmque inter nutricis ulnas Missæ Sacrificîo interesset, Sanctissima JESU, & Mariæ nomina, cũ proferrentur, demisso capite venerabatur; oculîsque in cœlũ intentis tota in sacrorum Mysteriorum contemplationem defixa, videbatur.

℟. Propter veritatẽ. LECTIO V.

PUeritiam jugi divinarum rerum meditioni, ac jejuniis addicta, fundendis precibus, elæemosynis erogandis, áliisque piis operibus transegit. Custodiendæ autẽ Virginitatis studium tunc maximè probavit, cũ proposito conjugìo diù obluctata, sed parentibus tandem morem gerere coacta, & Boleslao Poloniæ Duci in matrimoniũ tradita, prima nuptiarum nocte suasionibus, precibusque impetravit, ut sibi Virginitatem colere liceret; deinde verò tanto illum puritatis amore inflammavit, ut pari consensu cum intacta Conjuge castitatẽ emisso votô servandam perpetuò

statu-

ſtatuerit, ex quo Pudici cognomentum adeptus eſt. Polonico autem Regno tam virtutum exemplis mirificè conſuluit, quã impetratis à Deo beneficiis; inter quæ illud præcipuè celebratur, quòd Salis fodinam, unde opulentiſſimi reditus Regno proveniunt, mirabiliter obtinuerit. ℟. Dilexiſti juſtitiã.

LECTIO VI.

MOrtuò Boleſlaô, Poloniæ regimen conſtantiſſimè recuſavit, curîſque omnibûs exuta, & facultatibûs in pauperes diſtributîs, Ordinem S. Claræ in Monaſterio Sandecenſi * quod ipſa condiderat, profeſſa eſt. Ibi cùm aquarum inopiâ Sorores laborarent, flumini haud procul decurrenti imperavit, ut alveo diverteret; & curſum, quē bacillo aquæ deſignaverat, per acclivia licèt loca teneret; Deoque famulæ ſuæ precibus annuente Monaſterii neceſſitatibus inſignî miraculô proviſum eſt. ‡ Cùm autem in eodem Monaſterio annos tredecim ſanctiſſimè vixiſſet, maximîs

virtu-

virtutibûs, ſignîſque, ac prophetiæ donô illuſtris, præcognitâ mortis horâ placidiſſimè quievit in Domino: die vigeſima quarta Iulii anno ſalutis ducenteſimo nonageſimo ſecundo ſupra milleſimum; cujus anima niveo amictu ornata inter Angelorum Choros cœlum conſcendere viſa eſt; ejuſque immortalẽ gloriam innumera deinde miracula comprobârunt; nam captivi libertatem, cæci viſum, ægri plurimi ſanitatem, à morbis graviſſimis, ipſa intercedente, recuperârunt, ac mortui pleriq; ad vitam ſunt revocati. Itaque antiquiſſimum cultum, quô per univerſam Poloniam celebrabatur, Alexander Papa VIII. approbavit, & Clemens Papa XI. eandem in primariam ejuſdem Regni, & Magni, Ducatûs Lithvaniæ Patronam ritè electam confirmavit.

℟. Afferentur Regi.



In tertio Nocturno: Homil. S. Gregorij Papæ in Evangel. Simile erit Regi-

Regnum Cœlorum: Decem Virginibus; *ut in Communi Virginum.*

Missa Dilexisti. *de Comm: Virginum.* Oratio *ut supra.*

DOMINICA *1ma Octobris.*

In Festo SSmi Rosarij B. M. V.

Duplex Majus

Omnia ut in Breviario Præter ea quæ hic sequntur.

O R A T I O.

DEus cujus Unigenitus, per vitam, mortem, & Resurrectionem suam, Nobis Salutis æternæ præmia comparavit; Concede quæsumus, ut hæc Mysteria Sacratissimo B.M.V. ROSARIO recolentes, & imitemur quod Contineat & quod promittunt assequamur. Per eundem Dominum &c.

In II. Nocturno.

L E C T I O. IV.

CUm Albigensium hæresis per Tolosatium Regionẽ impiè grassaretur, atquè altiùs in dies radices ageret; S. Dominicus, qui nuper Prædicatorum Ordinis fundamen-

ta

ta jecerat, ad eam convellendam totus incubuit. Id ut præstaret validius, auxilium B. Virginis, cujus dignitas illis erroribus, impudentissime petebatur, cuiquè datum est cunctas hæreses interimere in universo mùndo, enixis precibus imploravit, à qua (ut memoriæ proditum est) cùm monitus esset, ut Rosarium populis prædicaret, velut singulare adversus hæreses ac vitia præsidium, mirum est, quanto mentis fervore, & quâ felici successu injunctum sibi munus sit executus. Est autem Rosarium, certa precandi formula, quâ quindecim Angelicarum Salutationum decades, Oratione Dominicâ interjectâ distinguimus, & ad earum singulas totidem Nostræ reparationis Mysteria pia meditatione recolimus. Ex eo ergo tempore pius hic orandi modus mirabiliter per S. Dominicum promulgari, augeriquè cæpit, quem ejusdē Institutorem, Authoremq́; fuisse Sūmi Pontifices, Apostolicis literis passim affirmârunt. *Tu autē &c.* LE-

LECTIO V.

INnumerabiles porrò fructus ex hac tam ſalutari inſtitutione in Chriſtianam Rempublicam dimanârunt, inter quos victoria illa meritò numeratur, quam Sanctiſſimus Pontifex Pius Quintus & ab eo inflammati Chriſtiani Principes apud Echinadas Inſulas, de Turcarum Tyranno potentiſſimo, reportârunt. Nam, cùm illâ ipsâ die, Victoria relata ſit, qua die Sacratiſſimi ROSARII Sodalitates, per Univerſum Orbem conſvetas ſupplicationes peragerent, ſtatutasq; preces de more funderent, iis precibus haud immeritò refertur accepta. Quod quidẽ cùm etiam GREGORIUS 3tius decimus teſtatus eſſet, ut pro tam ſingulari beneficio B. Virgini ſub appellatione ROSARII perennes gratiæ ubique Terrarum haberentur, in Eccleſiis omnibus, in quibus Altare ROSARII foret, primâ quàquè Octobris Dominicâ Officium Ritu duplici majori perpetuò celebrandum in-

dixit: aliiq; Pontifices ROSARIUM recitantibus, ejusdemq; ROSARII Sodalitatibus Indulgentias penè innumeras concessêre. *Tu autem Domine &c.*

LECTIO VI.

NUper verò CLEMENS Undecimus animo reputans insignem pariter VictoriamAnno 1716 in Hungariæ Regno à Carolo Sexto in Imperatorem Romanorum electo, de innumeris Turcarum Copiis relatam, eo die contigisse, quo Festum Dedicationis Sanctæ *MARIÆ ad Nives* celebraretur, atq; eodem fermè tempore, quo Sanctissimi ROSARII Confratres publicam, solennemq; supplicationẽ in Alma Urbe ingenti Populi concursu, magnaq; religione peragentes, fervidas ad DEUM preces pro Turcarum depressione funderent, ac potentem opem DEI-PARÆ Virginis in auxilium Christianorũ humiliter implorarent, eam ob rem Victoriam illam, nec non liberatam paulò post eorundem Turcarum

obsi-

obſidione Corcyrenſem Inſulam ejuſdemq; B. Virginis Patrocinio piè cenſuit adſcribendam: Quamobrem ut hujus quoq; tam inſignis beneficii perennis ſemper & memoria extaret & gratia, Sanctiſſimi ROSARII Feſtum eadem die, eodemq; Ritu celebrandum ad Eccleſiã Univerſam extendit. Hæc autem omnia BENEDICTUS XIII in Breviario Romano noviſſimè apponi juſſit. Sanctiſſimam ergo DEI GENITRICEM Cultu hoc eidem gratiſſimo jugiter veneremur, ut quæ toties CHRISTI Fidelibus, ROSARII precibus exorata, terrenos hoſtes profligare dedit ac perdere: infernos pariter ſuperare concede. *Tu autem Domine miſerere.*

Die X. Novembris.

In Feſto S. ANDREÆ AVELLINI Clerici Regularis. *Semiduplex.*

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis primo loco, præter ea, quæ ſequuntur.

ORATIO

DEUS, qui in corde Beati ANDREÆ Confessoris tui, per arduum quotidie in Virtutibus proficiendi votum, admirabiles ad Te ascensiones disposuisti: Concede nobis, ipsius meritis, & intercessione, ita eiusdem gratiæ participes fieri, ut perfectiora semper exequentes, ad gloriæ fastigium feliciter perducamur. *Per Dominum nostrum &c.*

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In 2do Nocturno

LECTIO IV.

ANDREAS Avellinus, dictus ante Lancellottus, apud Castrum Novum Lucaniæ pagum natus, inter ipsa infantiæ primordia, futuræ Sanctitatis non obscura præbuit indicia Adolescens ad literas addiscendas paternâ è domo egressus, lubricam illius ætatis semitam, inter bonarum artium studia ita peregit, ut sapientiæ initium, quod est timor Domini, ob oculos potissimum

ſimum habere nunquam præter-miſerit; Cum egregia proinde forma eximiū caſtitatis ſtudium conjunxit, quò impudicas ſæpe mulierum inſidias eluſit, interdum etiam apertam vim propulſavit. Clericali militiæ jam pridem adſcriptus, Neapolim ſe contulit, ut legalibus diſciplinis vacaret, ibique Juris prudentiæ lauream adeptus, atq; interea ad ſacerdotalem dignitatem evectus, cauſarum patrocinia, in foro duntaxat Eccleſiaſtico, proq; privatis quibuſdam perſonis juxta Sacrorum Canonū ſanctiones agere cæpit. Verùm cùm aliquando inter cauſam agendam leve ei mendacium excidiſſet, mox verò fortuita Sacrarum ſcripturarum lectione in illa verba incidiſſet: os quod mentitur occidit animam, tanto ejus culpæ dolore, ac pænitentiâ correptus eſt, ut ſtatim ab ejuſmodi vitæ inſtituto ſibi recedendum eſſe duxerit. Itaq; abdicatis forenſibûs curis, ſe totum Divino Cultui, Sacrisq; miniſteriis man-

mancipavit, cùmque Ecclesiastica virtutis exemplis emineret, Sanctimonialium regimini à tunc existente Archiepiscopo Neapolitano præfectus fuit. Quo in munere cùm pravorum hominũ odia subijsset, primò quidem intentatæ sibi necis periculum declinavit, mox verò per Sicarium tribus in facie acceptis vulneribus, injuriæ atrocitatẽ æquo animo pertulit. Tunc perfectioris vitæ desiderio flagrans, ut inter Clericos Regulares adscriberetur, suppliciter postulavit, votiq; compos factus, ob ingentem, quo æstuabat Crucis amorem, ut sibi Andreæ Nomen imponeretur, precibus impetravit. *Tu autem Domine &c.*

LECTIO V.

ARctioris itaque vitæ circulum alacri studio ingressus, in eas maximè Virtutis exercitationes incubuit, ad quas sese arduis etiam emissis votis obstrinxit, altero scilicet suæ ipsius voluntati jugiter obsistendi, altero verò in via Christianæ

ſtianæ perfectionis ſemper ulterius progrediendi. Regularis diſciplinæ Cultor aſſiduus, & in ea promovenda, cùm aliis præeſſet, ſtudioſiſſimus fuit. Quidquid ab inſtituti ſui officii & Regulæ præſcripto, ſupererat temporis, Orationi, & animarum ſaluti tribuebat. In Confeſſionibus excipiendis mira ejꝰ pietas, & prudentia enituit, Vicos & oppida Neapoli finitima Evangelicis miniſteriis magno cum animarum lucro frequens luſtrabat. Quam ardentem, erga proximos Sancti Viri charitatem, ſignis etiam Dominus illuſtravit. Cùm enim intempeſta nocte ab audita ægri confeſſione domum rediret, ac pluviæ, ventorumq; vis prælucentem facem extinxiſſet, non ſolùm ipſe, cum ſociis, inter effuſiſſimos imbres nihil madefactus eſt, verùm etiam inuſitato ſplendore, è ſuo corpore mirabiliter emicante, ſocijs inter denſiſſimas tenebras iter monſtravit. Abſtinentiâ & patientiâ, nec non abjectione, atq;

odio

od ô sui, summopere præstitit. Necem fratris filio illatam imperturbato animo tulit, ac suos ab omni ulciscendi cupiditate compescuit, imò etiam pro interfectoribus opē & misericordiam Judicium imploravit. *Tu autem Domine &c.*

LECTIO VI

PLuribus in locis Clericorum Regularium Ordinem propagavit, eorumq; domicilia Mediolani & Placentiæ instituit. Illius operam S. Carolus Boromæus, & Paulus de Aretio Clericus Regularis, Cardinales quibus erat acceptissimus, in Pastoralis muneris curis adhibuerunt. DEIPARAM Virginem singulari amore, & cultu prosequebatur. Angelorum colloquio perfrui meruit quos: cùm Divinas laudes persolveret, è regione concinentes se audisse testatus est. Denique post heroica virtutum exempla, Prophetiæ quoq; dono illustris, quo & secreta cordium, & absentia, & futura prospexit, annis gravis, & laboribus fractus, ad Aram cele-

bratu-

braturus, in verbis illis tertiò repetitis: Introibo ad Altare DEI, repentino apoplexiæ morbo correptus est, mox Sacramentis ritè monitus, placidissimè inter suos animã efflavit, ejus corpus Neapoli in Ecclesia S. Pauli ad hæc usquè tempora, eo frequentissimo populi concursu colitur, quo fuit elatum. Illum deniq; insignibus in vita & post mortem miraculis clarũ Clemens XI Pontifex Maximus, solenni Ritu Sanctorum Catalogo adscripsit.

In III Nocturno.

Lectiones de Homilia in Evangelium.
Sint lumbi vestri &c.

DIE IV DECEMBRIS.

In Festo S. Chrysologi Epis: Confes:
Duplex minus.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter sequentia.

In Hymno dicitur Meruit supremos.
Ad Magnificat in utrisq; Vesperis Antiphona. O Doctor optime.

Oratio

DEUS, qui Beatum Petrum Chrysologum, Doctorem egregium,

divinitùs præmonstratum ad regẽdam, & instruendam Ecclesiá tuam eligi voluisti, præsta quæsumꝰ, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, Intercessorẽ habere mereamur in Cœlis. Per Dominum nostrum &c.

In primo Nocturno Lectiones de Communi Confessoris Pontificis 1. loco. Fidelis sermo.

In II NOCRURNO.

Lectio iv.

PEtrus, qui ob aureã ejus eloquẽtiam Chrysologi cognomen adeptus est, Foro Cornelii in Æmilia honestis parentibus natus, à prima ætate animum ad Religionem adjiciens, Cornelio Romano tunc ejusdem Urbis Corneliensis Episcopo, operam dedit: à quo etiam scientia, & vitæ sanctitate cum brevi profecisset, Diaconus creatus est: postmodum contigit, ut Ravennates ob mortem Archipræsulis sui alium (ut moris erat) ab eis electum Romam ad Sanctum Sixtum Papam Tertium pro confirmatione mise-

miserint unà cum Legatis suis, & cum prædicto Cornelio, qui eundem Levitam secum perduxit. Interim S. Petrus Apostolus, & Martyr Apollinaris, Summo Pontifici in somnis apparuerunt, mediumq́; habentes hunc Juvenem, jusserũt, ut illum, & non alium, Archiepiscopum Ravennæ crearet Hinc Pontifex, mox ut vidit Petrum, cognovit eum à Domino DEO præelectum: propterea rejecto illo, quem ipsi offerebant, hunc solùm anno Christi quadrigentesimo trigesimo tertio, illi Metropolitanæ præfecit Ecclesiæ. Quod cùm Legati Ravennatenses ægrè ferrent, audita visione, Divinæ voluntati libenter acquiescentes, novum Archiepiscopum maxima cum reverentia susceperunt. *Tu autem &c.*
℟. Inveni David.

Lectio v.

PEtrus igitur, licèt invitus in Archipræsulem consecratus Ravennam deducitur: ubi à Valentiniano Imperatore, & Galla placidia

dia ej9 Matre, ac ab universo populo maxima lætitia exceptus est. Et ille ab eis id unum petere dixit, ut quando tantùm oneris pro ipsorũ salute subire non recusavit, studerent ipsi monitis suis obtemperare, Divinisq; præceptis non obsistere. Duorum Sanctorum tunc ibi defunctorum corpora, optimis ungventis condita sepelivit, Barbatiani videlicet presbyteri, & Germani Antisidoriensis Episcopi; cujus etiam cucullam, & cilicium sibi vendicavit in hæreditatẽ. Projectum, & Marcellinum in Episcopos ordinavit. In Classe fontem extruxit magnitudinis verè admirabilis, & Templa quædam magnifica ædificavit, tum *Beato* Andreæ Apostolo, tum aliis Sanctis. Ludos ab hominibus personatis cum variis saltationibus Kalendis Januarii fieri solitos concione cohibuit acerrima; ubi inter alia illud præclarè dixit: *Qui jocari voluerit cum Diabolo, non poterit gaudere cum Christo.* Jussu Sancti Leonis

onis Papæ Primi ſcripſit poſtea ad Chalcedonenſe Concilium adverſus Hæreſim Euthychetis. Reſpondit præterea ad Euthychen ipſum, & aliâ epiſtolâ, quæ eidem Concilio in novis editionibus præfixa, & in Annales Eccleſiaſticos relata fuit. Tu autem &c. ℟. Poſui adjutorium.

Lectio vi.

DUm publicè ſermones haberet ad populum, adeò vehemens erat in docendo, ut præ nimio ardore vox illi interdum defecerit: ſicut contigit in concione mulieris Hemorrhoiſſe. Unde Ravennates commoti, tot lacrymis, clamoribꝰ, & orationibus locum repleverunt, ut poſtea ipſe gratias ageret DEO, quod in lucrum amoris verterit damnum ejuſdem ſermonis. // Cum tandem annos circiter decem, & octo eam Eccleſiam ſanctiſſimè rexiſſet, laborum ſuorum finem adeſſe divinitùs prænoſcens, in Patriam ſe contulit. Ubi ſancti Caſſiani Templum ingreſſus, magnum

Dia-

Diadema aureum, gemmis distinctum pretiosissimis offerens, super Altare majus posuit, necnon aureum craterem, & patenam argenteam, quam tum radibi Canis morsus, tum febres sanare sæpiùs expertum est, aqua inde demissa. Ex tunc Ravennates, qui eundem secuti fuerant, dimisit, admonens, ut in eligendo optimo Pastore invigilarent attentè. Mox DEUM humiliter precatus, & Sanctum Cassianum Patronum, ut benignè animá ejus exciperet, tertio nonas Decembris, placidè ex hac vita migravit, anno Domini circiter quadringentesimo quinquagesimo. Sacrum illius Corpus communi totius Civitatis fletu, ac pietate, propè corpus ejusdem Sancti Cassiani honorificè conditum nostris etiam temporibus religiosè colitur: cujus tamen brachium, auro, & gemmis ornatum Ravennam delatum in Ursina Æde veneratur. Tu autē &c. ℟. Iste est.

In

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium. Vos estis Sal *de Communi Doctorum.* 8. ℟. In medio.

DIE XVI DECEMBRIS

In Festo S. Eusebii Episcopi & Mart: Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea quæ hic habentur propria.

Oratio,

DEus, qui nos Beati Eusebii Martyris tui, atq; Pontificis annua solemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum nostrum.

Deinde fit Commemoratio Feriæ Adventus. In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurr. In secundo Nocturno. Lectio iv.

EUsebius natione Sardus, Romanæ Urbis Lector, post Vercellensis Episcopus, ad hanc regendã Ecclesiam meritò est creditus, Divinô electus judiciô; nam quem nunquam ante constituti Electores cognoverant, posthabitis civibus, simul

simul ut viderunt, & probaverunt, tantùmq; interfuit, ut probaretur, quantùm ut videretur. Primus in Occidentis partibus in eadem Ecclesia eosdem Monachos instituit esse, quos Clericos, ut esset in ipsis viris & contemptus rerum, & accuratio Levitarum Arianîs impietatibus ea tempestate per occidentem longè, latèq; traductis, adversus eas viriliter sic dimicavit, ut ejus invicta fides Liberium summum Pontificem ad vitæ solatium erigeret. Quare hic sciens, in ipso fervere Spiritum Dei, cùm ei significâsset, ut penes Imperatorē unà cum suis legatis patrocinium Fidei susciperet, mox cum illis profectus est ad Constantium, apud quem enixiùs agens, quidquid legatione petebatur, obtinuit, ut Episcoporum nempè cœtus celebraretur.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

COllectum est Mediolani annò sequenti Concilium, ad quod à Constantio invitatum Eusebium

con-

concupitumque, ac vocatum à Liberii legatis, tantùm abest, ut malignantium Synagoga Arianorum contra S. Athanasium furentium in suas partes adduceret, ut potiùs disertè statim ipse declarans, è præsentibus quosdam sibi compertos hæretica labe pollutos, Nicænam imò fidem proposuerit iis subscribendam, antequam cætera tractarentur: Quod Arianis acerbè iratis negantibus, nedùm in Athanasium recusavit ipse subscribere, quin Sancti Dionisii Martyris, qui deceptus ab ipsis, subscripserat, captivatam simplicitatem ingeniosissimè liberavit; Quamobrem illi graviter indignantes, post multas illatas injurias, exiliô illum mulctârunt; sed Sanctus vir excusso pulvere, nec Cæsaris minas veritus, nec ense obstrictos, exilium velut sui Ministerii officium accepit, missusq; Scythopolim, famẽ, sitim, verbera, diversaq; supplicia perpessus, pro fide strenuè vitam con-

tempſit, mortem non metuit, corpus carnificibus tradidit.

℟. Deſiderium animæ.

Lectio vi.

QUanta in eum tunc Arianorum crudelitas fuerit, ac effrenis inverecundia, oſtendunt graves literæ plenæ roboris, pietatis, ac religionis, quas è Scythopoli ſcripſit ad Vercellenſem Clerum, & populum, aliosq; finitimos, è quibus etiam eſt exploratum, ipſorum nec minîs, inhumanâq; ſævitiâ potuiſſe unquam eum deterreri, nec ſerpentina blanda ſubtilitate ad eorum, ſocietatem perduci. Hinc in Cappadociam, poſtremoq; ad ſuperiores Ægypti Thæbaidas præ conſtantia ſua deportatus, exilij rigores tulit ad mortem uſque Conſtantii, poſt quem ad gregem ſuum reverti permiſſus, non priùs redire voluit, quàm reparandis fidei jacturis ad Alexandrinam Synodū ſeſe conferret, poſtq; Medici præſtantis inſtar, peragrans Orientis pro-

provincias in fide infirmos ad integram valetudinem restitueret, eos instituens in Ecclesiæ doctrina. Inde salubritate pari, digressô in Illyricum, tandemq; in Italiam delatô, ad ejus reditum lugubres vestes Italia mutavit, ubi postquam Psalmorum omnium expurgatos à se commentarios Origenis edidit, Eusebijq; Cæsarensis, quos verterat de Græco in Latinū, demùm tot egregie factîs illustris ad immarcescibilem gloriæ coronā tantis erumnis promeritam sub Valentiniano, & Valente, Vercellîs migravit. ℟. Stola jucunditatis.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ in Evangel: Si quis vult post me venire. *ut in communi unius Martyris secundô locô.*

℟. *viii.* Domine prævenisti.

DIE XVI MAII.

In Festo S. Joannis Nepomuceni Mart. Semiduplex.

Omnia ut in communi Martyrum tempore Paschali (si illud contingat

Celebrari tempore Paschali. Aliàs omnia dicenda essent de communi unius Martyris) præter ea quæ sequuntur.

Oratio.

DEus qui ob invictum Beati Joannis Sacramentale silentium nouâ Ecclesiam tuam Martyrii coronâ decorâsti, da nobis ejus intercessione, & exemplô linguam cautè custodire, ac omnia potiùs mala, quàm animæ detrimentum, in hoc sæculo tolerare. Per Dominum nostrum &c.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno

Lectio iv.

JOannes Nepomuci Bohemiæ Oppidô, unde Nepomuceni cognomen duxit, à parentibus ætate provectis, non sine futuræ sanctitatis præsagio, flammis supra nascentis domum mirabiliter collucentibus, ortus est. Cùm infans in gravem morbum incidisset, Beatæ Virginis ope, cui natum parentes referebāt acce-

acceptum, è vitæ periculo evaſit incolumis. Egregia indole, piaq; inſtitutione cæleſtibus indiciis obſequente, inter Sanctas religioſaſq; exercitationes pueritiam egit: Nam Eccleſiam frequenter adire, & Sacerdotibus ad Aras operantibus miniſtrare in deliciis habuit. Zatecii politioribus literîs ad humanitatem informatus; Pragæ verò gravioribûs diſciplinis excultus, Philoſophiæ, Theologiæ, Sacrorumq; Canonum Magiſterium, & Lauream meruit. Sacerdotiô initiatus, atq; à ſcientia Sanctorum ad lucra animarum ritè comparatus, miniſterio Verbi Dei ſe penitus addixit. Cum igitur in vitiis, & revocandis in via ſalutis errantibus eloquentiâ, & pietate uberes ederet fructus, inter Canonicos Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis cooptatus, mox ſibi demandatam Evangelii coram Rege Wenceſlao VI. prædicandi Provinciam ſuſcepit, eo ſucceſſu, ut Joannis ſvaſu mul-

multa Rex faceret, magnoq; in honore ejus virtutes haberet. Conspicuas tamen, quas ille obtulit dignitates, Dei servus, ne à Divini Verbi præconio avocaretur, constantissimè recusavit Regiis illum Elèémosynis in pauperes erogandis præfectũ, Joanna Regina conscientiæ sibi Moderatorem adscivit.

Lectio v.

CUm autem Wenceslaus ab Officio, institutoq; decessisset, atq; in vitia præceps abriperetur; piæ autem Conjugis obtestationes, & monita gravatè ferret, contendere ausus est, ut in Sacramentali Judicio Sacerdoti credita Reginæ arcana sibi à Joanne panderentur. At DEI Minister blanditiîs primum, tormentîs deinde, & carceris squallore tentatus, nefariæ Regis cupiditati fortiter obstitit. Furentem, tamen Venceslai animum cùm ab execrando proposito nec humana, nec divina jura deterrerent, Supremum agonem, quem instare sibi

bi Athleta Christi noverat, populo in concione de impendentibus etiam Regni calamitatibus admonito, non obscurè prænunciavit. Mox Boleslaviam profectus ad Beatæ Virginis Imaginē antiquo cultu celebrem, cæleste præsidium ad certandum bonum certamen effusîs precibûs imploravit. Inde Vesperi revertentem, in Pervigilio Dominicæ Ascensionis, Rex è fenestra conspicatus accersit, cùmq; vehementiùs urgeret, & proximam in aquis, si obluctari pergeret, submersionem intentaret, Joannes invictâ constantiâ terrores, minasq; refutavit. Itaq; Regis Imperiô in Moldavam flumen, Pragam interfluens noctu dejectus, illustrem Martyrii coronam est consecutus. Sacrilegū facinus clam patratum, & Martyris gloriam insigne prodigium Divinitùs patefecit. Ubi enim exanime corpus secundo flumine vehi* cæpit, ardentes faces aquis supernatantes & discurrentes apparuerunt. Le-

Lectio vi.

QUamobrem ex arena postridie mane corpus elatum, Canonici deinde Regis iram nihil timentes, in Metropolitanam Ecclesiam solenni pompa intulerunt, & sepulturæ mandârunt. Cùm autem in dies invicti Sacerdotis memoriâ, miraculîs, & maxima fideliũ, eorum præcipuè, qui famâ periclitantur, veneratione cresceret, post annos demum amplius tercentos in juridicá recognitione corporis, quod sub humo tam diu jacuerat, lingva ejus incorrupta, & vivida reperta est; quæ sextô post anno Judicibus à Sede Apostolica delegatis exhibita, novô prodigiô repentè intumuit, & sub obscurum rubo rem in purpureum commutavit. Hîs itaq;, aliisq; signîs ritè probatîs, Benedictus XIII. P M. die decima nona Mensis Martii annô salutis millesimô septingentesimô vigesimô nonô primum hunc Sacramentalis Sigilli assertorem, Ar-

cani fidem ſangvine obſignantem Sanctorum Martyrum catalogo adſcripſit.

Lectiones Tertii Nocturni leguntur ex festo S Policarpi Episcopi Mart: Homilia S. Hilarii Episc: In Evang: Nihil est opertum quod non reveletur &c. *Vt habetur in Breviario 26 Januarii.*

DIE XVIII JULII.

Beati Simonis de Lipnica Confessoris.

Oratio.

COncede quæſumus Omnipotens & misericors Deus, ut B. Simonis Confeſſoris Tui præclara merita nobis proficiant, & tuâ gratiâ quam precamur nos dignos efficiant, in qua firmati, tuæ gloriæ ſimus annumerati. Per Dominum noſtrum &c.

DIE XVI AUGUSTI.

S. Rochi Confeſſoris.

Oratio

DEUS qui Beato Rocho Confeſſori tuo per Angelum tuum tabulam eidem deferentem, pro-

promisisti, ut qui ipsum piè invocaverit, à nullo pestis cruciatu læderetur, præsta quæsumus, ut qui ejus natalitia colimus, ipsius meritis, & intercessione, à mortifera peste corporis & animæ liberemur. Per Dominum nostrum &c.

DIE XV OCTOBRIS

S. Hedvigis Viduæ Patronæ R. Pol:

Oratio

DEus qui B. Hedvigem à sæculi pompa, ad humilem tuæ Crucis sequelam, toto corde transire docuisti; concede, ut ejus meritis, & exemplô, discamus perituras mundi calcare delicias, & in amplexu tuæ Crucis, omnia nobis adversantia superare. Qui vivis & regnas &c.

DIE XIX OCTOBRIS.

B. Joannis Cantii Patr. Reg. Pol.

Oratio

DEus, tuorum gloria Sanctorũ; præsta quæsumus: ut per intercessionem B. Joannis Cantii, ab omnibus liberemur malis animæ

&

& corporis, & ad vitam perveniamus sempiternam. Per Dominum nostrum &c.

DIE XII JUNII

In Festo S. Joannis à S. Facundo duplex Minus

Omnia de Commun: Confess: non Pontificis præter ea, quæ sequuntur.

Oratio

DEus auctor pacis, & amator charitatis, qui B. Joannem Confessorem tuum mirifica dissidentes componendi gratiâ; ejus meritis & intercessione concede; ut in tua charitate firmati, nullis à te tentationibus separemur. Per Dominum nostrum &c.

In I. Nocturno Lectiones de scriptura occur: In II. Noctur: Lectio IV.

JOannem Sahaguni in Hispania nobili genere natum, parentes, cùm diu prole caruissent, piis operibus à Deo impetrârunt. Ab ineunte ætate egregiũ futuræ sanctitatis specimen, dedit; nam è loco superiori ad cæteros pueros

cre-

crebrò verba faciebat, quibus eos ad virtutem, & Dei cultum hortabatur, eorumq; dissidia componebat. In patria Monachis S. Facundi, Ordinis S. Benedicti primis literarũ rudimentis imbuendus traditur, dum iis operam daret, curavit Pater, ut Parochus, Ecclesiam administraret, quod munus juvenis nullis rationibus adduci potuit, ut retineret. Inter familiares Episcopi Burgensis adscriptus, ob spectatam ejus probitatem intimus ei fuit, ab eoq; Presbyter, & Canonicus factus, multis beneficiis auctus est. Sed relictâ aulâ Episcopi, ut Deo quietiùs serviret, omnibûs Ecclesiæ proventibûs abdicatis, se cuidam Sacello addixit, ubi sacrum quotidie faciebat, ac de rebus Divinis magna auditorum cum ædificatione frequenter concionabatur.

Lectio V.

POstea studiorum causâ Salmaticam profectus, in celebre Collegium Divi Bartholomæi cooptatus

tus, Sacerdotis munus ita exercuit, ut simul optatis studiis incumberet, & in Sacris etiam Concionib9 assiduè versaretur; cùm verò in gravissimum morbum incidisset, arctioris disciplinæ votô se obstrinxit, quòd ut redderet, cùm priùs cuidam pauperi penè nudo ex duabus, quas tantùm habebat vestes, meliorem dedisset, ad Cænobium Sancti Augustini severiorî disciplinâ tum maximè florens, se contulit, in quo admissus, obedientiâ, animi demissione, vigiliîs & oratione provectiores anteibat; Triclinii cura, cùm ipsi demandata esset, vini doliolum ipso attingente omnibus Monachis per annũ abundè suffecit. Exactô Tyrocinii annô, Præfecti jussu munus concionandi suscepit. Salmanticæ id temporis adeò cruentîs factionibûs Divina humanaq; omnia permixta erant, ut singulis permodum horis cædes fierent, & omnium ordinũ ac præsertim nobilium sangvine,

non

non solùm viæ, & fora, sed templa etiam redundarent.

Lectio VI.

AT Joannes tum Concionibus, tum privatîs colloquiîs Civium animos demulcens, ad tranquillitatem Urbē reduxit. Unum Principem graviter offendit, quòd illius in subditos sævitiam increpâsset. Qua de causa equites duos immisit, qui eum in itinere confoderent; jamq; ad ipsum propinquaverant, cùm stupore Divinitùs immisso immobiles steterunt simul cum equis, donec ad pedes Sancti Viri provoluti, sceleris veniam precarentur. Ipse quoq; Princeps repentino terrore perculsus, jam de salute desperaverat, cum revocato Joanne, facti pænitēs incolumitati redditus est. Factiosi etiā homines cùm eū fustib9 pateterēt, brachiis derriguêre, nec ante redditæ vires, quàm delicti veniam precarentur. Christum Dominum, dum sacrum faceret, præsentem contueri, atq; ex ipso

ipſo Divinitatis fonte Cæleſtia Myſteria haurire ſolitus. Abdita cordis inſpicere, ac futura raro eventu præſagire, frequens illi fuit. Fratriſq; filiam ſeptennem mortuam excitavit. Deniq; mortis die prænunciato, & Eccleſiæ Sacramẽtis devotiſſimè ſuſceptis, extremũ diem clauſit. Multîs ante & poſt obitum miraculîs glorioſus. Quibus ritè probatis Alexander Octavus Sanctorũ numerô eum adſcripſit.

In III Nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ in Evang: Sint lumbi veſtri præcincti, *ut in Commun: Confeſſ: non Ponti: Miſſa* Os Juſti. *de Commun. Oratio propria ut ſuprà.*

DIE VIII MARTII.

S. Joannis de DEO Conf: Ordinis Hoſpitalitatis Fundatoris dup Omnia de Comm: Conf: non Pontif. præter ſeq.

ORATIO.

DEus, qui Beatum Joannem tuo amore ſuccenſum inter flammas innoxium incedere feciſti, &

per

per eum Ecclesiam tuam nova pro-le fæcundâsti: præsta ipsius suffragantibus meritis, ut igne charitatis tuæ vitia nostra curentur, & remedia nobis æterna proveniant. Per Dominum nostrum &c.

In I. Noct: Lectiones de libro Eccl: Beatus vir, *de commun: Confes. non Pontif. secundo loco.*

In II Noct. Lectio IV.

JOannes de Deo ex Catholicis, piisq; Parentibus in oppido montis Majoris Junioris Regni Lusitaniæ natus, quam sublimiter in sortem Domini fuerit electus, insuetus splendor super ej9 domo refulgens, sonitusq: æris campani sua sponte emissus, ab ipso ejus nativitatis tempore non obscurè prænunciarunt; à laxiori vivendi ratione, Divinâ operante virtute revocat9, magnæ sanctitatis exhibere specimen cæpit, & ob auditam prædicationem verbi Dei, sic ad meliora se excitatum sensit, ut jam ab ipso sanctioris vitæ rudimento consummatũ aliqu.d

aliquid, perfectumq; visus sit attigisse. Bonis omnibus in pauperes, carceribus inclusos erogatis admirabilis pænitentiæ, suiq; ipsius contemptûs cuncto populo spectaculum factus, à plerisq; ceu demens graviter afflictus in carcerẽ amentibus destinatum conijcitur. At Joannes cælesti charitate magis incensus, gemino atq; amplo valetudinario, ex piorum eleemosynis in civitate Granatensi exstructo, actoq; novi Ordinis fundamento Ecclesiam nova prole fæcundavit Fratrum Hospitalitatis, infirmis præclaro animarum corporumq; profectu inservientium, & longè latèq; per orbem diffusorum. Tu autem &c. ℟. *Honestum fecit.*

Lectio V.

PAuperibus ægrotis, quos proprijs quandoq; humeris domũ deferebat, nulla re ad animæ corporisq; salutem proficuâ deerat. Effusâ quoq; extra Nosocomium charitate indigentibus mulieribus,

viduis, & præcipuè Virginibus periclitantibus clàm alimenta ſubminiſtrabat, curamq; indefeſſam adhibebat, ut concupiſcentiam à proximis. hujuſmodi vitio inquinatis, exterminaret. Cùm autem maximum in Regio Granatenſi valetudinario excitatum fuiſſet incendiũ; Joannes impavidus proſilijt in ignẽ huc, illuc diſcurrens, quouſq; tũ infirmos humeris exportatos, tum lectulos è feneſtris projectos ab igne vindicavit, ac per dimidiam horam inter flammas jam in immenſum ſuccreſcentes verſatus exinde divinitùs incolumis, univerſis civibus admirantibus exivit è ſchola charitatis, edocens ſegniorem in eum fuiſſe ignem, qui foris uſſerat, quàm qui intus accenderat.

℟. *Amavit eum.*

Lectio VI

MUltiplici aſperitatum genere, demiſſiſſimâ obedientiâ, extremâ paupertate, orandi ſtudio, rerum divinarum contemplatione, ac

ac in Beatam Virginem pietate mirificè excelluit, & lacrymarum dono enituit. Deniq; gravi morbo correptus, omnibus Ecclesiæ Sacramentis ritè, sanctèq; refectus, viribus licet destitutus, proprijs indutus vestibus è lectulo surgens, ac provolutus in genua, manu & corde Christum Dominū è Cruce pendentem perstringens, Octavo Idus Martij anno millesimo quingentesimo obijt in osculo Domini, quē etiam mortuus tenuit, nec dimisit, & in eadē corporis constitutione sex circiter horas, quousq; inde dimotus fuisset, tota Civitate inspectante, mirabiliter permansit, odorē mirè fragrantē diffundens, quē ante & post obitum plurimis miraculis clarum Alexander VIII. Maximus in Sanctorum numerum retulit. ℞. *Iste homo.*

In III. Noct. Homilia S. Joannis Chrysostomi in Evang. Accesserunt ad Jesum Pharisæi, *ut in Dom: xvii post Pent:*

Ha Dic

Die IV. SEPTEMBRIS

S. ROSALIÆ Virg. duplex

Ex ordinatione Celsiss: Principis Loci Ordinarii. Omnia de Comm. Virg: præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

EXaudi nos Deus salutaris noster, ut sicut de B. Rosaliæ Virginis tuæ festivitate gaudemus; ita piæ devotionis erudiamur affectu: & ejus intercessione ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur. Per Dominum &c.

Lectiones I. *Noct: de Script: occurr.*

In II. Noct. Lectio IV.

ROsalia Virgo orta Panormi ex nobili genere, suam originem trahens à Carolo Magno, in Quisquinæ montem quadraginta circiter mille passibus distantem, sola recedens, paternæ domus opes, delicias ac spem majoris amplitudinis ob propinquitatē & benevolentiā Regum Siciliæ contemnens cum tetricæ rupis horrore & asperitate commutavit: inque antrū, cui tunc uni-

unicus, & quidē angustus aditus è superiori loco patebat intrepidè descendit, ea mente quā characteribus saxo insculptis adhuc patentibus expressit: Ego Rosalia Sinibaldi Quisquinæ & Rosarum Dńi filia, amore Dńi mei Jesu Christi in hoc antro habitare decrevi. Qua inscriptione oculis obversante, susceptæ vitæ propositum altius cordi infigere, ac divinæ benevolentiæ signa ad castissimæ mentis blādimenta vicissim provocare consvevit. ℟. *Propter veritatem.*

Lectio V.

IN hac specu subterranea sibi & mundo emortua consepultaq; Jesu Christo, ut soli Deo viveret, diu noctuq; latuit: cavēs præcipuè in montibus paterni Principatus, ne fortè agnita domum urbemq; Patriam abduceretur invita: callidas dæmonum insidias, quæ asperæ vitæ tædium & solitudinis horrorem animo ingerebant, acriter sæviendo in se, ferreâ catenâ, vigiliis

giliis & humicubatione forti animo ſuperaſſe, antiquæ Icones ſignificant. Cum humanis deſtituta præſidijs nihil ſolatij aliunde hauriret, quàm è cælo; Dominus; qui conſolatur & coronat Sanctos ſuos Angelicis delicijs illam ſæpius recreabat. ℟. *Dilexiſti Juſtitiam.*

Lectio VI.

Cœleſti deinde conſilio ex antro Quiſquinenſi in horridiorem ſpeluncam peregrini montis tribus ferè mille paſſibus procul Panormo Roſalia ſe tranſtulit, ut quò difficiliorem pugnam ſecum ipſa committeret, è conſpectu domûs paternæ; eò laudabilius de contēptis mundi illecebris triumpharet. Latebat ibi ad partem lævam angulus concavus, quem eadem poſt repertas ejus reliquias, illuc venanti, cui ſe videndam præbuit; dixit eſſe ſuam cellam peregrinā, ubi multum ætatis exegiſſet. Hic tanquam columba in foraminibus petræ gemens, in cæleſtium rerum con-

contemplatione defixa, ad perfectissimam divini amoris normam in solitudine vitam traduxit, sanctissimè perennibus charitatis rosis, & Virginitatis liliis coronata deposuit pridie Nonas Septembris: cujus corpus Urbano VIII Pontifice Maximo divinitus anno Jubilei totius Siciliæ plausu repertum, illam à peste liberavit. ℟. *Afferentur Regi.*

In tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Simile erit Regnum cælorum. *cum reliquis de comm: Virginum.*



Jndex Sanctorum


Quorum Officia in hoc Libello continentur.

JANUARIUS.



NB. Pij 5. Maj,
Dedicatio Basilicæ Salvatoris 9. Novembr.

A M. D. Gl.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0029833

